TION.

IXIX.

1. de Arbitris: Pr. J. Rhamner, R. J. A. Gumpelzheimer.
2. de bene merito. Pr. P. Muller, R. I. Schaeg.
3. de Quarta Trebelliana. C. G. Berger.
4. de Demonstratione, wer die Gottheit Christi beweisen könne. Pr. F. Philippi. R. J. Schumann.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-611299-p0003-7

INDEX DISPUTATIO-NUM.

	Num.		Num.
De Arbitrijs	1.	De Nimio	20.
De Benemeritijs	2.	De Nominatione auctoris	21.
De Gubernatoribus grauitatis	3.	De Pactis	22.
De Demonstratione fundi	4.	De Pecúnia hereditaria	23.
De Jure distrahendi pignoris	5.	De Prioritate ac potentiore	24.
De Æstimatione ingenere et in specie	6.	De Possessione tate temporis instrumentali	25.
De Foro immediato	7.	De Præcognitis	26.
De Gratia et Jure protestandum	8.	Juris prudentia Romana	27.
De Jure aggratiandi juuenillorum	9.	De Recognitione documentorum	28.
De Intimatione et citatione	10.	De Rationibus in folle	29.
De Jure Collectandi tionis capitalis	11.	De Sportulis	30.
De Jure Carnificum	12.	De Stylo curiæ	31.
De Jure circa Calores	13.	De Subsellijs templo	32.
De Jure Pignorum	14.	De Testamentis solennibus et minus solennibus.	33.
De Insinuatione	15.		
De Judicijs moderan	16.		
De Libris Mercatorum	17.		
De Liquidatione	18.		
De Mero mysterio illustr. jctor ordinis	19.		

Qværes benè vortat!

EXERCITATIO JURIDICA,

De

JURE COLLECTANDI,

IN SPECIE

qva ratione & qvo fine imponi & exigi collectæ debeant,

Qvam

SUB PRÆSIDIO

CASPARIS ZIEGLERI, J. U. D.

Consiliar. Elector. Saxon. & Facultat. Jurid. Ordinarii

Publicè discutiendam proponit

GOTHOFREDUS CHRISTIANUS Leyser.

In Auditorio JCtorum

Ad D. APRILIS

WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

EXERCITATIO IURIDICA,

DE

IURE COLLE-

CTANDI,

IN SPECIE

DE

CONVENTIBUS SYNAGOGARUM

EXIGI SOLITIS DEBENTIS,

QUAM

SUB PRAESIDIO

CASPARIS ZIEGLERI, I. U. D.

Collegii Elector. Saxon. & Facultat. Iurid.

Ordinarii,

Publicè defendendam

proponit

GOTTHELFIUS CHRISTIANUS SMIT.

AD D. APRILIS

MDCCXXXIII.

LITTERIS CELL.

Typis MATTHIAE HERCKELII, Acad. Typogr.

Ex libr:

EX libris veterum memoriarum, & cujusvis seculi historiis, ipsisq; nostrorum temporum annalibus continuâ qvasi serie freqventissima omnium nationum colligere licet exempla, principes pecuniis acerbè conqvirendis plus invidiæ sibi, qvàm virium addidisse. Aspera in vùlgi auribus vox, tributum, res in animis; nec alia crebrior odiorum seges. Etiam tùm, cùm necessitas instat, invidia tributorum, dum imperantur, subest. Malè enim secum agi putat unusqvisqve, dum ex facultatum suarum diminutione publicæ rei detrimentum metitur, neq; considerat, qvanta inde rei suæ familiari expectanda sint commoda. Non alia seditionûm acriora existunt incitamenta, neq; deflagrare illæ solent, nisi cum maximo Reip. damno. Qvocirca, ut tributorum necessariorum invidia leniri qveat, utq; lubentiores reddantur animi subditorum, plurimæ â civilis prudentiæ Doctoribus excogitantur artes, qvas tamen recensere hîc omnes nostrum non fert institutum. Videri de iis possent Christophorus Forstnerus *in Taciti lib. 5. annal.* M. Z. Boxhorn *Instit. Polit. lib. 1. c. 10.* Nobis id curæ erit, ut tributa ad justitiæ trutinam expendamus, & qvatenus tùm impositio, tùm distributio, tùm exactio fieri debeat, breviter explicemus.

II. Justissima omnium sunt tributa', qvæ volentibus & consentientibus subditis imponuntur. Tùm enim, qvod qvisq; sponte subit onus, grave non est, aut saltem continentiore cum patientiâ fertur. Et hæc perpetua fuit bonorum Principum in subditos suos benevolentia, ut ab eis non exigerent collectas ante, qvàm utrinqve mutuo consensu comprobatæ fuissent. Indici in eam rem solent Comitia, in qvibus Princeps cum statibus non

 san-

antùm necessitatem collationum expendit, sed de modo etiam, qvo, & ex qvibus rebus exigi debeant, deliberat. Sic enim duplici qvasi vinculo ad earum solutionem adstringuntur subditi, qvorum alterum ex subjectione oritur, alterum ex conventione & consensu, qvorum posterius in Rep. simplici & principatu absoluto necessarium qvidem non est, facit tamen ad conservandam inter Imperantes & parentes harmoniam, mutuumq; utrorumqve amorem. Vid. Joh. Parlador. *l. 1. rer. qvotid. c. 3. n. 13.* Nec dicere poteris, decedere, & derogari sic majestati, qvæ imperium suum labefactari non patitur, nec subditos in partem regiminis admittit. Nec enim hinc seqvitur, subditos in Comitiis usurpare ea, qvæ majestatis sunt, cùm diversa omninò sint, tributa indicere, & de tributis indicendis consilia conferre. Nec, si dissentientibus & consulentibus Statibus tributa non indixerit Princeps, seqvitur, eum circa majestatem suam detrimentum pati, sed hoc potius, tributa ea vel pro non necessariis, vel pro injustis habita, idq; Principem ex consilio Statuum didicisse. Anticipavi eâ de re dicere *exercitat. 9. qvæ est, de jure habendi comitia, num. 12. seqq.* potissimùm *num. 16.* unde suppleri possunt, qvæ hîc studiosè præterimus.

III. Hinc igitur, ubi ex plurium suffragio tributa imponenda fuerint, qvod contingere solet non tantùm eò casu, qvando plures imperant, sed etiam, qvando ex collatis consiliis statuum suorum Princeps definire rem aggreditur, qvod hodiè Principes Germaniæ utplurimùm facere solent, maxima oritur dubitatio, utrum in collectis communitati aut singulis imponendis sufficiat â majori parte eas comprobatas fuisse, & qvidem eo cum effectu, ut reliqvi non consentientes ad easdem solvendas obligati sint, an verò eximi debeant illi, qvi non consenserunt? Vix unqvam enim extabit casus, qvo unâ mente omnes in unam eandemq; pecuniæ summam, unum eundemqve exsequendi modum, aut in ipsam etiam actûs substantiam consensisse dicentur. Id qvia in plerisqve omnibus negociis contingere solet propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, atqve hinc res sine exitu futura est, *l. 17. §. 6. ff. de recept.* omnium ferè gentium consensu receptum est, ut in rebus civilib9

totam

totam universitatem attinentibus pars major habeat rationem integri. Francisc. â Victoria *Relect. de potest. civ num 14.* Et sic igitur reliqvi qvi non consenserunt, non minus obligabuntur atq; alteri qvi majorem partem constituunt, non qvidem directè, sed indirectè & interpretativè, non qvidem ex jure, qvod major pars in ipsos habeat, tanqvam superior, sed ex illâ naturæ lege, qvæ vult partem omnem, qva pars est, ordinari ad bonum totius, qvod bonum præsumptivè â majore parte determinatum est. Hug. Grot. *de imp. summ. pot. circa sacr. cap. 4. n. 6.* Utrum verò idem hoc etiam in collectis decernentis obtinere debeat, non omnium una est sententia.

IV. In Comitiis Imperii multa sæpè hâc de re fuit controversia, qvæ neq; â pacis Osnabruggensis Restauratoribus componi potuit, atqve ideo ad Comitia proxime futura remissa tùm fuit, *art. V. num. 19.* Qvid autem in istis, qvæ deinceps anno 1653. Ratisbonæ habita sunt, præstitum fuerit, refert Limnæus *lib. 2. annot. ad lib. IX. de jur. publ. cap. 1. num. 182. tom. 5.* nempe Senatum Electorum cum Principibus Catholicis pluralitatem votorum comprobasse: Principes protestantes discrimen fecisse inter collectas voluntarias & necessarias, & in his tantùm pluralitati votorum locum dedisse: Civitates verò nullam hîc pluralitatem admittere voluisse. Disqviri deinde cœpisse, qvid sibi velit ista distinctio Collectarum in voluntarias & necessarias: & Senatum Electoralem judicasse, omnes collectas Imperii ratione causæ pro necessariis aut utilibus, ratione verò consensûs Statuum, sine qvo imponi neqveant, pro voluntariis haberi debere. Principes qvosdam Catholicos nullas omninò Imperii collectas necessarias, sed omnes respectu dantis voluntarias statuisse, illas enim non per præceptum â Statibus exigi, sed â volentibus & consentientibus suâ sponte solvi. Qvæ omnia prolixius refert Limnæus *d. l.*

V. Nobis non sedet tanta animi arrogantia, ut putemus, lites in publicis negociis inter Proceres Imperii natas ex Cathedrâ Scholasticâ decidi posse. Qvia tamen qvæstiones controversas in utramqve partem ventilare tamdiu licet, qvoad istæ lege publicâ determinatæ fuerint, atqve interim unicuiq; qvod

libet, ſtatuere permiſſum eſt, nemo nobis vitio vertet, ſi per libertatem, qvâ utimur, Academicam de qvæſtione propoſitâ, qvid nobis videatur, breviter hîc explicemus. Et ut eo magis excuſati ſimus, non conſiderabimus qvæſtionem propoſitam in actu exercito, ſive in hypotheſi, & in applicatione ad Remp. Germanicam ejusq; comitia; ſed in actu ſignato & in abſtractione ab omni Republicâ particulari. Eritqve nobis ſtatus controverſiæ hic: Utrum in collectis ex plurium arbitrio imponendis omnes illi individualiter conſentire debeant, ad hoc ut omnes & ſinguli obligentur, an verò ſufficiat conſenſus majoris partis?

VI. Omninò autem præmittenda hîc eſt diſtinctio inter collectas neceſſarias & voluntarias, ſive ut rectiùs dicam, inter actûs neceſſarios & voluntarios, qvam etiam probant Joh. Bapt. Coſta *de fact. ſcient. & ignor. inſpect. 30. n. 7.* Anton. Perez. *Cod. de indict. n. 15.* Ægid. Thomat. *de collect. §. neſcienter. num. 1.* dummodo rectè explicetur. Ut enim neceſſarius dicatur actus, non præcisè reqviritur, ut vis aliqva phyſicè inferatur aut libertas homini prorſus auferatur, cùm pluribus modis neceſſarium qvid dicatur, qvos exponit Ariſtoteles *lib. 5. Metaph. c. 5.* & liberæ etiam actiones certo reſpectu dici poſſint neceſſariæ, Franciſc. Svarez, *diſp. Metaphyſ. 19. Sect. 2. n. 8.* ſed ſufficit, per neceſſitatem extrinſecus adſtantem, voluntatem agentis ita affici, ut cum diſplicentiâ qvâdam agat, non acturus, ſi neceſſitas illa abeſſet. Etſi igitur non per præceptum ſemper exigantur collectæ, ſed à ſubditis volentibus & conſentientibus dentur, poterunt tamen aliqvæ ideò neceſſariæ dici, qvia conſenſus ille à principio qvodam externo elicitur, & qvidem cum difficultate aliqvâ, cùm fortaſſe mallent in ejusmodi collectas non conſentire. Scholaſtici dicerent, neceſſarias eſſe tales collectas non neceſſitate præcepti, ſed medii, qvia ſine iis ſalus publica conſervari non poſſet.

VII. Voluntariè igitur & liberè agere in hoc negocio idem denotat, qvod agere ſummâ cum lubentiâ, nullâ urgente neceſſitate, nullo concurrente metu. Et hoc donationibus tantùm & gratuitis munerum largitionibus proprium & peculiare

liare est, ad qvarum substantiam hæc particularis conditio requiritur, ut gratuitò, liberaliter, absqve metu, coactione, aut internâ displicentiâ fiant, in qvo sensu liberè idem planè qvod liberaliter significat. Roger. Widdrington. *de juram. fidel. c. 9. n. 19.* Aliàs non nego inter libertatem & lubentiam magnam esse differentiam. Summa libertas est in Mercatore merces in mare abjicientis illibentissimè; contra summa lubentia in nepote, qvi in Venerem prurit furitqve, libertate affectibus excœcata. Danhauer. *part. 2. Theol. Conscient. dialog. 4. pag mihi 181.* Hâc igitur ratione collectæ voluntariæ dicentur, qvæ citra ullam necessitatem, nec intuitu resultantis inde alicujus utilitatis publicæ ad omnes pertinentis conferuntur, qvales sunt, qvæ fiunt honorarii faciendi gratiâ. Anton. Perez *Cod. de indict. n. 15.*

VIII. His contradistingvuntur collectæ necessariæ & utiles, qvæ tamen ipsæ etiam inter se differunt. Qvanqvam enim necessitatis & utilitatis ratio in qvibusdam negociis concurrat, & utriusqve tàm magna sit convenientia, neqve dici vel fingi possit necessarium, qvod non simul etiam utile contineat. Gylmann. *Symph. tom. 4. part. 1. vol. 3. n. 24.* atqve hinc fieri soleat ut unum per aliud exponatur, Gloss. *in l 5. §. 10. verb. necessaria ff. de damn. inf.* Lud. Schrader. *de feud. part. 4. c. 1. n. 16.* Wesenbec. *consil. 194. n. 10.* aut conjungantur qvandoqve uti fit in *l. 39. ff. de hered. petit.* accuratè tamen loqvendo plus dicit necessitas, qvam utilitas. Neqve id qvod utile est, necessarium illicò existit. Sic enim inter impensas necessarias & utiles accuratè distingvunt JCti, qvando de restitutione rei alienæ agitur. *l. 79. ff. de V. S.* Joh. Bapt. Costa *de remed. subsid. cap. 99. n. 6. seq.* Marescott. 2. *resol. 109. seq.* Rheinking. *de retract. q. 6. n. 386. 401. 409.* Vincent. Garoce. *de locat. p. 4. q. 40. n. 5.*

IX. Qvia verò in publicis negociis causa utilitatis causæ necessitatis æqviparatur. Guil. Redoan. *de reb. Eccles. non al. qv. 55. n. 29.* & bonus civis ad utrumqve tenetur, tàm subvenire publicæ necessitati, qvàm procurare ea, qvæ ad beatitatem civilem utilia censentur, non opus erit, ut curiosè discrimen istud in hâc tractatione faciamus, aut observemus. Negari tamen neqvit, ex necessitate & ex necessariâ causâ arctiorem induci obligationem,

qvàm ex causâ utili, cûm priùs laborandum ſit, ut res conſervetur, qvàm ut melior exiſtat. Atqve hinc inferri poterit, graviùs peccare eum, qvi neceſſarias recuſat inferre collectas, qvàm, qvi utiles. Ipſa etiam utilitatis ratio non eſt uniusmodi. Alia enim ad necesſitatem propiùs accedit, alia remotior ab eâ videtur. Sic & evidentior eſt alia, alia minùs evidens. Alia ad ſingulos æqvaliter & in eâdem qvantitate & qvalitate, iisdem gradibus, eodem numero, pondere aut menſurâ redundat, alia magis uni, qvàm alteri prodeſt. Habet verò & neceſsitas ſuos gradûs, diciturqve alia extrema, alia gravis, alia communis, uti diſtinguunt Doctores. In qvibus omnibus ſpecificè determinandis & ad materiam præſentem applicandis plus temporis inſumendum eſſet, qvàm commodi inde percipere liceret. Et qvia, ut modo dixi, ad utilia non minùs qvàm ad neceſſaria ſuæ civitatis tenetur civis, ad utrasqve etiam obligabitur collectas, ſive pro neceſsitate, ſive pro utilitate Reip. impoſitæ fuerint. Vid. Alphonſ. Vilagut. *de reb. Eccl. mal. al. lib. 1. cap. 100. n. 6. & 8.* Aymo Cravett. *conſil. 27. n. 8. & conſil. 195. num. 8.* Atqve ſic de utrisqve idem poſthac faciemus judicium.

X. Potiſſima autem ratio eorum, qvi pluralitati votorum in materiâ collectarum derogant, eſt iſta, qvod majoris partis conſenſus reliqvos, qvi pauciores ſunt, obliget tùm demum, qvando negocium commune pertinet ad omnes ut univerſos, ſecus verò, qvando pertinet ad omnes, ut ſingulos. Tùm enim ſingulorum conſenſus reqviritur, nec obligantur illi, qvi non conſenſerunt. *arg. l. 11. ff. de ſerv. ruſt. præd.* Sic enim jus eſt, ut qvod omnes tangit, i. e. cujus emolumentum vel incommodum ad omnes in individuo pertinet, ab omnibus debeat comprobari, *c. qvod omnes de R. J. in 6.* Nic. Loſæus *de jur. univerſ. part. 1. c. 3. n. 84.* Anton. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 26. def. 5. n. 7.* Petr. Weſenb. *ad l. 148. ff. de R. J.* Anton. Gomez. *l. 2. reſol. c. 4. n. 14.* Jam verò certum eſt, collectarum onus ad ſingulos pertinere. Nec enim qvisqvam eſt, qvi pro alio contribuit, aut onus alienum in ſe recipit, ſed unusqvisqve, qvod debet, ex ſuis facultatibus exſolvere tenetur. Et hinc concludit Antonius Faber *Cod. lib. 9. tit. 29. def. 18.* non teneri, qvi non conſenſerunt.

XI.

XI. Deinde ipſa naturalis ratio dictitat, iniqvum eſſe, ut per impoſitionem collectarum inopiæ noſtræ aliorum votis præjudicium creetur, & marſupia noſtra per aliorum ſuffragia evacuentur. Par enim in parem uti non habet imperium *l. 4. ff. de recept. arb. l. 13. §. 4. ff. ad SCT. Trebell.* ita nec poteſtatem de ejus bonis decernendi, aut aliqvid inde decerpendi. Et uti ſuæ qvisqve rei moderator eſt atqve arbiter, *l. 21. C. mandat.* ita liberum ei erit in tali caſu, qvando ex parium votis collectæ decernuntur, dare eas vel denegare. Fieri ita aliàs facilè poſſet, ut pauperiores qvi fuerint, dum numero ſuperant, ditiorum bonis onera pro ſubitu imponerent, qvippe qvorum ſemper iniqvi judices ſunt, ut aut invideant, aut ſi poteſtatem nacti fuerint, minuant.

XII. Qvibus accedit porrò, qvod in actibus puri puti arbitrii voluntas noſtra aliorum nutu non ſtringatur, nec promiſſiones alienæ aut facti alieni obligent. Zach. Vietor *de cauſ. exempt. concluſ. 5.* Loſæus *de jur. univerſ. part. 3. cap. 9. n. 11.* Sed neceſſe eſt, ut ſi obligari qvis debeat, conſenſus ejus accedat. Omnia enim ejuſmodi decreta Univerſitatum fiunt per conventiones, & ſe habent inſtar contractuum. At nullus celebrari poteſt contractus ſine contrahentium conſenſu, *l. 1. §. pen. ff. de pact.* qvi conſenſus eſt plurium voluntas, ad qvos res pertinet, ſimul juncta. Mozz. *de ſtipulat. tit. de conſenſ. n. 3.* Qvomodo igitur, decretis univerſitatum ex conſenſu robur accipientium obligari poterit, qvi diſertè diſſentit? Nec enim dicere poteris, conſenſum hîc ſubeſſe interpretativum, & haberi eum pro conſentiente. Interpretativus enim ejuſmodi conſenſus non aliter procedit, qvàm per fictionem qvandam. At fictio ceſſat, qvando habetur veritas. Joh. Bapt. Coſta *de retrotract. cap. 2. reg. 2.* Nec proinde pro conſentiente haberi poteſt, qvi diſertis verbis diſſentit. Et huc facit porrò regula vulgata, qvod res inter alios acta aliis non præjudicet, *t. t. Cod. res inter al. act.* Roll. à Valle *conſ. 85. n. 4. vol. 2.* Joh. Ronchegall. *in l. eandem §. 1. n. 48. ff. de duob. reis.*

XIII. Iſtas rationes omnes ut invicibiles admitto, ſi qvidem agatur de collectis voluntariis ex merâ liberalitate civium, nullâ urgente neceſsitate, nec ſvadente utilitate publicâ ſolvendis. Nemo tùm obligabitur, niſi qvi conſenſit; nemo cogi pot-

eſt

est, ut consentiat, nec adigi potest, ut solvat, qvi apertè & manifestè dissensir. Non una tùm omnium causa est ante consensum, sed post consensum demum una fit, per unionem plurium idem placitum approbantium. Voluntas cujusqve hîc libera est, nec, si libera non esset, liberalitas dici posset. Ambitiosa dixit Decurionum decreta Ulpianus in *l. 4. ff. de decret. ab ord. fac.* qvibus jubetur qvis vel prædia vel ædes vel certam qvantitatem præstare. Non minùs ambitiosum id esset, si qvis alteri liberalitatis officium injungere, aut ex alieno marsupio contra Domini voluntatem liberalis esse vellet. Non poterit igitur universitas propter donum alicui dandum, indicere collectas, neqve cogere dissentientes, ut paria secum faciant, & eandem liberalitatem exerceant. Ægid. Thomat. *de collect. §. ne scienter. num. 1.* Alphons. Vilagut. *de reb. Eccles. mal. al. lib. 1. cap. 100. n. 7.* Vincent. de Franchis *decis. 2. n. 24. 26.* Alfons. Modit. *ad §. plebiscitum Inst. de J. N. G. & C. dub. 53. & 54. n. 4.* Casp. Klock *de contrib. c. 6. n. 89. & 109.*

XIV. Qvod si verò de collectis propter instantem necessitatem aut utilitatem publicam sermo fuerit, confidenter affirmo, per consensum majoris partis obligari minorem, & cogi tùm posse dissentientes, ut collectas solvant. Theod. Rheinking *de regim. secul. & Eccles. l. 1. class. 5. c. 8. n. 66.* Imponuntur enim tales collectæ propter bonum publicum, & ad promovendam felicitatem civilem, qvæ est in Rep. At in deliberationibus istis, qvæ commune respiciunt bonum, minor pars semper conformari debet ad placita majoris. Huc namqve collineat tota & integra societatis civilis intentio, ut universitati & per hanc unicuiqve benè sit. Sibi ergo qvi benè cupit, universitati etiam ut benè cupiat, necesse est, qvia scil. in bono communi bonum singulare continetur, & in salute totius salus partium consistit. Qvid autem utile & proficuum sit universitati, universitas ipsa judicare debet. In qvâ si fuerint dissentientes, ratio naturalis dictitat, majoris partis valere debere sententiam & huic accedere debere reliqvos, ideò scil. qvia non aliter, qvàm ex plurium sententiâ constare potest, qvæ bono publico proficua sperentur. Proinde etiam in contractibus, qvos celebrat universitas, si necessitas & utilitas causam dederint, non præsentes tantùm & consentientes obli-

obligantur, sed absentes etiam omnes. Hartman. Pistor. *l.1. q.37. n.7.* Aymo Cravett. *consil. 27. n. 8.* Nic. Losæus *de jur. univers. part.3. c.3.* Matth.Coler. *de proces. execut. part.2.c. 3. n. 376.* Et hinc in terminis fortioribus rectè concludit Calderinus, qvem refert Felinus *in c. cum dilecta X. de rescript. num. 20.* qvod major pars posit imponere collectam toti universitati, etiamsi minor pars qvæ contradicit, debeat solvere majorem qvantitatem. Ratio est, qvia in colligendis suffragiis non attenduntur facultates civium, sed tantùm qvantitas numerica. Nec verò injuria fit parti minori, dummodo secundum proportionem onera imponantur, qvia tùm maximè inter Cives æqvalitas servatur, qvod infra pluribus ostendemus.

XV. Nec verò alius hîc modus ex dissentientium civium votis certum qvid statuendi excogitari poterit. Ut enim nihil nunc dicam de libidine dissentiendi, in qvâ sibi nonnulla maximè placent ingenia, id solum attendi nunc velim, plurimos alios opinione rectius sapiendi, πλεονεξίᾳ, φιλαργυρίᾳ & ejusmodi vitiis aliis ita corruptos esse, ut salutis publicæ emolumenta vel non intelligant, vel rejiciant prorsus aut saltem non qværant. Atqve illorum haud pauci tâm attenti ad rem familiarem & parandas divitias existunt, ut Herculi citiûs clava, qvam istiusmodi civibus nummus unus aut alter extorqveri qveat. Qvi ipsi in collectas nunqvam & nec necessarias qvidem, nisi toti jam in periculo constituti fuerint, consentient. An putabimus igitur, eorum, qvi ditissimi plerumqve sunt, dissensum immunes eos & eximios ab oneribus publicis præstare debere? Imò verò obtundendus est iste in Remp. langvor, neq; connivendum, ut infinita illa & insatiabilis avaritia salutem communem impediat. Atq; idcircò cogi tales ad officia sua debere existimo, sicubi sponte ea subire nolint. Qvod enim universitati placet, conveniens non est, ut ab uno aut altero retractetur. Omninò n. ea credenda est fuisse voluntas in societatem coëuntium, ut ratio aliqva esset expediendi negocia. Est autem manifestè iniqvum, ut pars major seqvatur minorem. Qvare naturaliter pars major jus habet integri. H. Grot, *de jur. bell. & pac. lib. 2 c. 5. n. 17.*

XVI. Sed & iniqvum eſt, alios magnis ſumptibus & oneribus tranqvillitatem & felicitatem publicam comparare, alios verò gratis eâ frui. Secundum naturam eſt, commoda & incommoda ad eosdem pertinere, *l. 10. ff. de R. J. c. qvi ſentit de R. J. in 6. §. 3. Inſt. de empt. & vend.* Sebaſt. Medic. *de compenſ. p. 1. qv. 45. n. 1. 2. 3.* atq; hinc pugnat cum vitâ ſociali & politicâ, ut qvorundam damno & jacturâ univerſorum civium utilitas comparetur. Fernand. Vaſqv. *lib. 1. controv. illuſtr. 4. in fin.* Eſt enim civitas ſocietas qvædam, in qvâ maximè æqvalitas ſervanda eſt. Æqvalitas autem in hoc potiſſimùm conſiſtit, ut par habeatur ratio tùm fructus & impendii, tùm lucri & damni. Franzk. *tit. pro ſocio num. 51. ſeq.* Et ſocietas talis coiri non poteſt, ut alter lucrum tantùm, alter damnum ſentiat; Nam iniqviſſimum eſt hoc genus ſocietatis, qvam etiam leoninam appellant JCti in *l. 29. §. 1. ff. pro ſoc.* ratione nominis deſumptâ ex apologo Æſopi, uti putat Eraſmus. Vid. Franc. Connan. *lib. 7. comment. c. 13.* Franciſc. Cardin. Mantica *lucubrat. Vatican, lib. 6. tit. 8.* Qvapropter cùm impenſæ propter neceſſitatem aut utilitatem publicam faciendæ ſunt, incivile eſt & ſocietati planè adverſum, ſi qvis neceſſitati iſti non ſubvenire, aut utilitatem publicam ejusqve ſalutem non procurare velit. Ad hoc enim obligatus eſt, qvisqvis ſocietati ſe addixerit, ut non minus incommoda qvàm commoda ejus ſua propria faciat, qvantumqve in ſe fuerit, ſalutem communem promoveat.

XVII. Et hæc etiam ratio eſt, qvod in concurſu Creditorum, ſi major pars Creditorum per conventionem cum debitoris herede initam, aliqvid de credito ſuo remiſerit, reliqvi etiam hoc majoris partis facto obligentur *l. 7. §. f. ff. de pact.* Dyn. *in c. qvod omnes de R. J. in 6.* Duennas *reg. 244.* Matth. Brun. *de ceſſ. bon. q. 22.* Steph. Gratian. *diſcept. p. 2. c. 222.* Joh. Yannez Parlador. *l. 2. rer. qvotid. c. fin. p. 5. §. 7 n. 8.* Benvenut. Stracha *de decoctor. p. 6. n. 5. 6.* Matth. Afflict. *deciſ. 288.* Fr. Salgado *in Labyr. Cred. lib. 2. cap. 2. n. 67. ſeq.* Qvia enim reliqvi Creditores (Chirographarii ſcil. nam de his intelligenda eſt d. l. 7. uti patet ex l. 10. eod.) ſalvam ſuam cauſam habere neqveunt, niſi in ſalute omnibus communi, & ſalus omnibus communis in hoc conſiſtit, ut potius de credito

credito aliqvid remittatur, & heres adeundo hereditatem omnibus obligetur, qvam ut post repudiationem nemo sit, qvi solvat, satius erit majori creditorum parti, qvæ pro modo debiti æstimanda est, l. 8 *ff. de pact.* minorem cedere, qvàm ut omnes simul creditum suum admittant. Ad eundem modum salus Reip. in hoc consistit, ut per mutua & æqvalia ex proportione onera omnes conserventur. Id enim tolerabilius erit, qvàm si aliis nunc ferentibus onera, aliis non ferentibus, atq; illis ad incitas redactis, hi deinceps soli magno suo malo munera subire cogantur.

XVIII. Ex qvibus omnibus firmiter concludo, majorem partem civitatis consentientem circa collectas necessarias facere, ut minor pars ad easdem collectas agnoscendas & solvendas teneatur. Nec ergò obstant, qvæ pro dissentientibus supra adducta sunt. Sumitur enim ut concessum, collectas ad omnes pertinere ut singulos, qvod tamen rectius negatur. Etsi enim omnes pro ratione facultatum suarum contribuant, atq; ita ex singulorum bonis tributa colligantur, collatio tamen illa ideò fit, ut salus communis conservetur, & universitati benè sit. Anton Capyc. *decis. 148. n. 6.* Qvi finis determinat actionem, ut non possit ad omnes ut singulos pertinere, nisi exconseqventi, sed ad omnes ut universos. Sic enim ex fine dijudicantur actiones morales, non ex causâ efficiente. Et utcunq; etiam aliqvid commune pluribus, ut singulis, qvoad modum operandi dicatur, injusta tamen contradictio aliqvorum non tollit effectum justæ voluntatis aliorum in eo, qvod est opportunum agi pro re communi. Steph. Gratian. *discept. forens. c. 222. n. 2.*

XIX. Iniqvitas nulla est, si qvi alios in commune ærarium contribuere volunt, idem illi in se statuant. Iniqvum vero hoc est, ex aliorum marsupiis procuratâ salute uti velle, & commodum ex aliorum incommodis partum sibi cum illis commune facere. Salutem universitatis qvi non vult, aut aliis benè sentientibus & concordantibus reluctatur, parum abest, qvin hostis Reip. dici possit. Reusner. *l. 3. consil. 3. n. 73. 74.* Par in parem non habet imperium, nisi tractetur de publicâ salute & utilitate. Aug. Barbos. *in axiom. l. 14. c. 3.* Neq; propter imperium majoris

joris partis minor obligatur, sed propter contrarium robur, cui in latitudine oppositâ cedere cogitur. Jac. Lampad. *de Rep. Rom. Germ. p.3. c.3. n.17.* Libertas arbitrii in negociis publicis multifariam coërcenda est, & semper respectus habendus ad salutem communem, nec tum uti re suâ unicuiq; pro lubitu licet. A pauperiorum vero oppressione vanus est metus, dum sibi ipsis eandem qvam aliis fabricant sortem, eademq; cum illis subeunt onera.

XX. Fateor consensum nec fingi nec subintelligi posse, si qvis apertè dissentiat. Resp. tamen non semper consensum reqvirit civium in qvocunq; negocio specialem, sed exigit debitum, ad qvod qvisq; ex consensu generali obligatur. Iste consensus generalis colligitur ex actu, qvo qvisq; suæ civitatis civis factus est. Tùm enim promisisse censetur, velle se commoda civitatis & beatitudinem civilem promovere, mala autem omnia pro virili avertere. Et talis consociatio maximum dat jus corpori in partes, Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 5. n.23.* adeòut cogi possint cives, qvi in officio negligentes fuerint, aut ad rationem totius componi noluerint. Consensus in contractibus debet esse liberrimus, cùm nihil tàm consensui sit contrarium, qvàm vis atq; metus, *l.116 ff. de R. J.* Et tamen potest civis tempore necesitatis cogi, ut mutuo det Reip. pecuniam, Fern. Vasqv. *lib.1. controv. ill. c. 6. n.7.* Joh. Bapt. Costa *de remed. subsid. c.76. n.5.6.* Hering. *de fidejuss. c.8. n.101.* Anton. Perez. *Cod. de superindict. n.5.* Ad eundem igitur modum cogi potest Civis, qvi â reliqvâ universitate dissentit, ut faciat id, qvod â majore parte concluſum est. Res inter alios acta non præjudicat tertio, nisi tertii illius causa ad reliqvos pertineat, & inseparabilis fuerit. Dum igitur salus publica ad omnes, qvi sunt de universitate pertinet, non poterit tertius ille excipere, causam ad se non spectare. Et hoc est qvod dicit Petrus Paulus Parisius *part. 4. consil. 90. n.21.* in negociis universitatis in majori parte omnes repræsentari. Manet igitur, in decernendis collectis illis, qvæ necesitatem aut utilitatem Reip. concernunt, majorem prævalere universitatis partem, & per horum consensum reliqvos, etsi dissentientes fuerint, obligari.

XXI

XXI. Ad hunc tamen effectum duo inprimis reqviruntur, qvæ omitti nullo modo possunt. Primò oportet omnes, ad qvos ea res pertinet, & qvi jus suffragii habent, Nic. Reusner. *lib. 3. consil. 3. n. 83.* more recepto esse vocatos, & ad deliberationes aut consultationes istiusmodi citatos & invitatos, *arg. l. 2. C. de decur.* Joseph. Ludovic. *decis. 43. n. 7.* & qvidem in unum locum, ut rectè notat Casp. Klock *de contrib. cap. 6. n. 129. seq.* Communis namq; conclusio est, qvod in actibus universitatis debeant omnes simul congregari, & in commni consentire, communicato scil. consilio & præviâ deliberatione. Nec adeò sufficit, collecta fuisse suffragia particulatim diversis temporibus & ex diversis locis. *arg. l. 7. §. ult. ff. de pact.* cum fieri possit, ut in conferendis sententiis minor pars majorem trahat in suam sententiam, *l. 17. §. f. ff. de recept.* Add. Joh. Coras. *de offic. Eccles. part. 4. c. 3. n. 10. 11.* Ut autem præcisè duæ partes congregatæ sint, & aliter decretum non valeat, qvod aliqvando observari voluit jus civile *in l. 3. ff. qvod cujusq; univers. l. 3. ff. de decret. ab ord. fac. l 46. C. de decur.* Losæ. *de jur. univers. part. 1. c. 3. n. 77.* Bodin. *de. Rep. lib. 3. c. 7. n. 336.* fortè necesse non est, cùm sufficiat, vocatos esse universos & singulos. Et ut maximè concesserimus, duas integras partes adesse debere, non tamen in eas connumerare tùm liceret, qvi vel omninò nolunt, vel non possunt venire. Vid. Jacob. Gothofred. *ad l. 84. C. Theodos. de decurion.* Dav. Mev. *ad jus Lubecens. lib. 1. tit. 1. art. 2. n. 27.* Th. Maul. *de homag. tit. 9. n. 12.*

XXII. Secundo reqviritur, ut collecta, de qvâ agitur, sit communis & ab omnibus solvenda. Atqve hinc eorum tantùm sententiæ computari debent, qvi ipsi qvoqve conferunt, præteritis illis, aut saltem cum delectu ad misis, qvi immunes sunt, & exempti. Non potest igitur Ordo eqvestris, nisi & ipse contribuere paratus sit, suffragiorum pluralitate civitatibus onera imponere, aut si in tres Ordines distingvantur cives Reip. nihil â duobus Ordinibus decerni potest, qvo uni tantum ex tribus incommodum inferatur. Bodin. *de Rep. lib. 3. 7. n. 335.* Sic enim inter tres socios facilè duo consentire possent in perniciem tertii. Licet verò tempore necessitatis & imminentis periculi etiam,

qvi immunes aliàs sunt, ad collectas & onera Reip. ferenda obligentur, qvod supra pleniùs exposui, difficulter tamen illi fortè ab immunitate hâc suâ recedent. Atq; idcircò tùm demum eorum sententias computari debere existimo, qvando ad collectas inferendas prompti sunt; secus, ubi difficiles sese præbent, qvia tùm in favorem & conservationem suæ immunitatis sententiam dixisse censentur.

XXIII. Et hæc qvidem de impositione, qvæ fit universis dicta sufficiant. Conseqvens nunc est, ut de distributione, qvæ in singulos fit, videamus. Hîc enim præcipuè justitiæ regulæ observari debent, ne qvisqvam plus justo oneretur, utve debita proportio ubiq; intercedat. Qvalis autem proportio observanda sit, arithmetica an geometrica, qvæve justitiæ particularis species hîc locum inveniat, commutativa an distributiva, uti Aristoteli dicuntur, breviter exponendum erit. Pleriq; hîc uti præmia, ita etiam onera ad justitiam distributivam referunt, & proportionem tantùm Geometricam attendi volunt. Ego non alio casu eam observari posse puto, qvàm ubi constituendum fuerit de immunitatibus & privilegiis, utrum aliqvi & qvinam ex civibus vel omninò vel ex parte exempti ab istis oneribus esse debeant. Etsi enim non facile immunitates concedendæ sint, uti superiore exercitatione ostensum fuit, possunt tamen aliqvorum in Remp. merita esse tanta, ut ipsi reliqvi cives fateri necesse habeant, iniqvum esse, sicubi iste unà secum communia onera ex æqvo ferre cogeretur. Et hoc qvidem casu non minùs onera qvam præmia pro diversâ consideratione civium, qvatenus alius alio dignior est, & majorem in Rep. partem facit, distribuenda erunt, ita qvidem ut ex præmiis plus, ex oneribus verò minus ei asignetur. Ratio est, qvia tam præmia illa qvàm onera, sicut ad communitatem totam spectant, ita alio respectu ad cives, nisi qvatenus partes & membra illius sunt, non pertinent. Prout itaq; alius est alio in Rep. major vel minor, ita etiam sab illâ qvalitate & ratione præmia vel onera ferre debet. Franzk. *tit. de just. & jur. n.27.*

XXIV. Sepositis verò immunitatibus, qvæ in materiâ collectarum bonis patrimonialibus impositarum oppidò rarò hodiè conce-

conceduntur, nego aliter fieri debere distributionem, qvam secundum proportionem Arithmeticam & ex justitiâ commutativâ. Collectarum enim & tributorum onera optimè se habent, si pro modo facultatum, negociationum & possessionum injungantur & exigantur. Hoc vero casu æqvum & justum est, ut qvo qvis magis divitiis abundat, qvove majus lucrum in re suâ familiari capit, eo plus etiam solvere teneatur. *Dominic. Soto de just. & jur. lib. 3. qv. 6. art. 7.* Habenda igitur tùm est æqvalitas rei ad rem, proportio inter bona, qvæ qvisq; habet, & pecuniam, qvam ex fructibus eorum tributi aut collectæ nomine solvit, qvæ non alia est, qvam Arithmetica, & qvæ justitiæ commutativæ propria est.

XXV. Dicere qvis posset, inæqvalitatem illam, qvâ unus plus altero confert, videri adhuc proportionem Geometricam involvere. Qvando enim ita singulis in civitate ex oneribus qvantum competit, assignatur, æqvalia qvidem civibus ex communibus illis rebus tribuuntur, non tamen simpliciter, sed respectu diversæ diversorum civium conditionis, qvod est proportionis Geometricæ, qvippe qvæ *lib. V. Eth. c. 3.* ab Aristotele describitur qvod sit, ubi eadem est ratio totius ad totum, & partium ad partes, vel generalius *lib. V. Polit. c. 1.* qvod sit ratio & habitudo æqvalis primi & secundi termini ad tertium & qvartum. Vid. Dn. Struv. *in Syntagm. l. 1. tit. 1. n. 21.* Spectatur namqve in eâ qvalitas personarum, & conditio rerum, qvæ inter personas sunt distribuendæ, ita ut æqvalibus æqvalia, inæqvalibus inæqvalia & singulis convenientia tribuantur Joh Magir. *ad Arist. l. 5. Eth. c. 3.* Dum ergo collectæ impositæ sic distribuendæ sunt, ut â ditioribus plus & â pauperioribus minus exigatur, haud frustra qvis inde argueret proportionem hîc subesse Geometricam.

XXVI. Fateor, argumentationem istam facere posse, ut nisi totum negocium probè attendatur, facilè qvis in contrariam sententiam inflecti qveat. Et fuerunt sic etiam, qvi in contractu societatis, cùm viderent, eum expleri proportione comparatâ, tale qvid statuerent. Vid. H. Grot, *de jur. bell. & pac. l. 1. cap. 1. n. 8.* Sed enim utrobiq; stat proportio Arithmetica, sive

bona

bona ſingulorum civium, & partem tributi, qvam qvisq; ſolvit, inter ſe compares, ſive cives inter ſe & ad invicem conſideres, qvatenus ſcil. collectas ſolvunt. Utrobiq; æqvalitas eſt inter rem & rem, inter bona & tributum, nullibi perſonæ dignitas attenditur. Idq; eo clarius patebit, ſi poſueris, non perſonis, ſed rebus impoſitum fuiſſe tributum. Fac igitur, ex centum, qvæ qvis in bonis habet, decem dari debere, certè qvi bis centum habet, viginti, qvi ter centum poſsidet, triginta contribuere debebit, & ſic deinceps. Nullus tùm reſpectus erit ad perſonæ dignitatem vel meritum, ut propterea plus vel minus exigi debeat, ſed ſolùm inter bona inſtituitur proportio. Perinde ut fit in emptione; cùm â diverſis diverſæ & inæqvales res emuntur, dubium non eſt, precia qvoq; inde diverſa conſtitui; nec tamen dici poteſt, qvod in emptione venditione proportio Geometrica obſervari debeat. Haud aliter etiam hîc inæqvalia qvidem ſunt tributa, qvæ ab opulentis & tenuioribus ſolvuntur, nec tamen id fit ex proportione Geometricâ, ſed Arithmeticâ potius, dum attenduntur bona cujusqve, & hinc onŋ illis æqvale imponitur.

XXVII. Qvando igitur conſtitutum eſt, qvi ſolvere tributa debeant, qvi non debeant id qvod ſecundum proportionem Geometricam fieri debere ambabus manibus largior, diſtributio deinceps inter eos qvi ſolvere debent, citra perſonarum reſpectum facienda eſt, & qvidem æqvalitate tali, ut nemo plus altero contuliſſe dici qveat. Iſta æqvalitas non aliàs magis ſervari poteſt, qvàm ubi ſecundum cujusq; bona & facultates tributa imperantur. Tùm enim onera ad cujusq; vires commenſurantur, & unusqvisq; pro modo fortunarum ſuarum lubentiore animo onera iſta agnoſcit, dum videt, etiam vicini ſui facultates in eundem cenſum venire, & tantundem pro ratione bonorum ab illo exigi. Et hic eſt modus omnium optimus & æqviſſimus, diciturq; fieri ſecundum æs & libram, qvod ſumma in eo ſit æqvalitas, & tributum qvodammodo appendatur ſecundum cujusq; facultates, probaturqve non tantùm jure divino, *Levit. XIV. 21. c. XXVII, 8. Num. XXXV, 8, 2. Reg. XXIII, 35. Eccleſiaſtic. XXXIII, 30, 2. Cor. VIII, 13.* & naturali, qvod ultra vires aliqvem onerare prohibet, & ſuum cuiq; etiam in oneribus tribuere jubet; ſed etiam civili, *l. 4. l. 5. ff. de Cenſib. l. 1. l. 5. C. eod.*

C. eod. l. 7. l. 8. l. 12. C. de oper. publ. l. 3. l. 7. C. de annon. & trib. l. 1. C. de mun. patrimon. l. 5. C. qvi bon. ced. posſ. l. 1. C de apoch. publ. l. ult. C. de immun. nem. conced. l. 4 C. qvem. civ. mun. indic. Novell. 17. c. 8. itemqve Canonico, *c. cum inſtantia 17. X. de cenſib. c. ſopitæ 14. & c. cum nuper 25. eod.* & Recesſibus Imperii, *Spirenſi de anno 1544.* §. **Alß aber wir etc.** *Trevirenſi & Colonienſi de anno 1512.* §. **Und damit die mäßigung.** *Noribergenſi de anno 1524.* §. *item* **wiewohl.** *Spirenſi de anno 1526.* §. *Item* **alß auff den Reichstage.** Conf. Ægid. Thomat. *de collect.* §. *retenta n. 14.* Bocer. *de collect. c. 8. n. 4. & cap. 12.* Weſenbec. *part. 3. conſil. 103.* Caſp. Klock. *de contribut. cap. 17.* Petr. de Ubald. *de collect. n. 14.* Carpzov. *lib. 4. reſponſ. 72.*

XXVIII. Ut autem, qvantum qvisq; in bonis habeat, ſciri poſsit, profeſsio & æſtimatio eorundem neceſſe eſt ut præcedat. Qvod profeſsionem attinet, optandum eſſet, tam ingenuè eam fieri ab omnibus, ut juſtitia inter concives accuratè ſervari poſsit. Sed cùm tanta ſit qvorundam perverſitas, ut celare ſuas facultates malint, qvàm egenti Reip. ſubvenire, non perpendentes damnum aliorum, ſibi dum benè ſit, neq; conſiderantes malum imminens, præſentia dum bona ſunt, non videtur iniqvum, ut urgente Reip. neceſsitate jurata â talibus exigatur profeſsio. Vid. Carpzov. *d. l. 4. reſponſ. 74.* Ubi tamen prudentiam Cenſorum maximè neceſsarium eſſe, animadverto, qvodqve in hoc negocio circumſpectè agendum ſit, diuturna belli Germanici calamitas ubiq; locorum edocuit. Cùm enim faciles ſint nonnulli ad jurandum contemptu religionis, alii perqvam timidi metu divini numinis usq; ad ſuperſtitionem, *l. 8. ff. de condit. inſtitut.* ita ut ſubtili reverentiâ tenti nec verum ſacramentum præſtare patiantur, *l. 21. C. de fid. inſtrum.* Anton. Fab. Cod. *lib. 4. tit. 1 def. 9. n. 4. & def. 45. n. 10. 11. & def. 3. n. 3.* Dan. Moller. *p. 3. conſtit. 5. n. 18.* ſanè indiſcretè ad juramentum confugiendum non eſt. Et ideò qvi habet præſumptionem pro ſe, ei non facile deferendum eſt juramentum, Setſer. *de juram. l. 4. c. 3. n. 27.* ſicut nec ei, de qvo ſuſpicio eſt, committi poſſe perjurium. Fulv. Pacian. *de probat. l. 1. c. 70. n. 5.* Aymo Cravetta *conſ. 207. n. 3.* Jac. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. l. 2. c. 192. num. 3.*

XXXIX. Alicubi, ne patefiant ſingulorum facultates, profeſsio bonorum prorſus omittitur, & â Magiſtratu indictâ ſummâ,

mâ, qvanta ab universis solvi debeat, jubentur singuli prævio juramento promittere, velle se tantum conferre qvantum se bonorum suorum ratione ad summam illam conficiendam debere intelligant. Tumq; ratam hanc suam sibi ipsis â se præscriptam in arcam publicam conjiciunt, neq; cuiqvam id notum faciunt, qvantum â se collatum fuerit, nisi qvod testem habeant conscientiam suam. Qvanqvam verò modum talem commendet Nicolaus Machiavellus *l.1.de Rep.cap.55.* & exinde colligere velit, multum in talibus hominibus antiqvæ pietatis & morum bonitatis adhuc inesse; vereor tamen, ut obtineri tota collectæ impositæ qvantitas qveat, tùm qvod unusqvisqve, nisi professio facta fuerit, multo opulentiores suos esse arbitratur concives, qvàm revera sunt, atqve sic minus â se, qvàm par est, contribui debere existimabit, tùm qvod sæpè sint, qvi conscientiam suam parvi pendunt, & juramento insuper habito ex merâ avaritiâ justam proportionem non observant, sed officio se suo satisfeciisse putant, qvando ex tinnitu monetæ injectæ auditum fuerit, se qvoq; inter cæteros aliqvid contuliisse. Memini etiam hoc observatum, ut ab ipso magistratu ex arbitratu suo, sine professione, cujusqve civis facultates æstimarentur, & ad istam æstimationem distributio institueretur; qvi verò pluris æstimata bona sua putarent, juramento confirmare juberentur, se tantum in bonis non habere, qvantum creditum â magistratu fuerit, nec proinde portionem sibi assignatam solvere debere. Solet etiam ad evitanda perjuria hoc alicubi observari, ut stipulatâ manu in vicem jurisjurandi an Eydes stat promissio fiat â subditis, velle se, qvicqvid in bonis est, ingenuè & sine fraude profiteri. Sed modus iste præterqvàm qvod parum differre videatur â promissione juratâ, iisdem etiam, qvas antea recensui corruptelis obnoxius est. Nec tamen geri aliter res potest, cùm qvod conscientiæ cujusqve committitur, id omnem fidem humanam superare credatur.

XXX. Professionem seqvitur æstimatio, qvam ipse ille qvi professus est, cujusq; bona sunt, bonâ fide facere debet, *l.4. in fin.pr.ff.de censib.* Recess. Imp. zu Speyer *de anno 1544.* §. damit aber/ibi: daß jeder sein selbst vermögen getreulich / und ohn allen falsch und Gefahr schätze. Ut verò bonorum & onerum justa observari

ſervari posſit proportio, duo hæc in æſtimatione faciendâ notarî debent. Primô, ut bona æſtimentur non ex ſubſtantiâ ſuâ, ſed ex qvantitate fructuum & emolumentorum, qvæ inde percipî poſſunt deductis omnibus aliis impenſis. Alvar. Valaſc. *de jur. emphyt. qvæſt. 17. n. 10.* Joh. Garſ. *de expenſ. & mel cap. 11. n. 60.* Eſt enim ex naturâ collectarum, ut ſint onus fructuum & ſolvi debeant ab illo, qvi fructûs percipit, *l. 4 ff. de cenſib, l. 13. C. de act. empt. l. 2. C. de annon. & trib.* Regner. Sixtin. *de regalib. lib. 2. c. 14 n. 76. & 146.* Per conſeqvens, ut maximè aliqvis magnificas in patrimonio ſuo habuerit ædes, non tamen ad modum precii illarum, qvanti ſcilicet ſtructura earum conſtitit, ſed ad emolumenta, qvæ inde percipî poſſunt, collectarum imponendarum qvantitas commenſuranda eſt. Caſp. Klock *de contribut. cap. 17. n. 91.*

XXXI. Deinde etiam hoc conſiderandum, utrum emolumenta illa, qvæ percipi ex bonis poſſunt, revera ad poſſeſſorem Dominum ſive eum, cui collecta indicitur, redeant. Bona enim ea demum intelliguntur cujusqve, qvæ deducto ære alieno ſuperſunt, *l. 39. §. 1. ff. de V. S.* Et de his ſcil. præſtari collecta debet, non de reliqvis, qvæ in æs alienum computantur. Regner Sixtin. *d. l. n. 154.* Et poteſt qvis ſplendida & magnifica habere prædia, ex qvibus nec exiguos colligere liceat fructûs, ſed qvorum maximam partem Creditoribus ſolvere tenetur. Nec igitur propter illos, qvos non percipit, ſolvere tenetur tributa. Don. Garſ. Maſtrill. *deciſ. 112. n. 29.* Qvin etiam tàm pauperes ſæpenumerò ſunt ipſi illi, qvi bonis immobilibus abundant, ut vix habeant, unde ſe ſuamqve familiam honeſtè ſuſtentare qveant. Atq; iſtis onus aliqvod imponere velle non charitati tantùm repugnabit, ſed etiam juſtitiæ. Ne tamen ærarium publicum emolumentis ſuis defraudetur, juberi poſſunt Creditores, ut ex parte iſtâ fructuum, qvam ipſi percipiunt, partem tributorum ſolvant, cùm reſpectu fructuum iſtorum pro dominis habeantur. Qvem in finem etiam Debitor â Magiſtratu ſuo cogi poteſt, ut totum iſtud, qvod propter fundum impoſitum eſt, exſolvat, ſed id imputare deinceps poterit Creditori in id, qvod debet, ſi qvidem poſſeſſor adhuc rei oppignoratæ fuerit. Caſp. Klock. *de contribut. cap. 11. n. 138.* Qvod ſi Creditor ipſe pignus conſtitutum jure antichreti-

co posſideat, ipſe etiam onus impoſitum ſubire & collectas indictas ſolvere tenetur.

XXXII. Factâ ita profeſſione & æſtimatione bonorum â peræqvatoribus liber cenſualis, qvem æſtimum & cataſtrum vocant, conficiendus eſt, in qvem & bona & æſtimatio eorum accuratè conſignari debent. Qvi liber præter alias utilitates etiam hanc præſtat, qvod per eum veluti contractus aliqvis inducatur inter Remp. & profitentem, dum ſcilicet qvi in æſtimo deſcribi bona ſua patitur, ipſo hoc facto ſe obligat ad ſolutionem inſcriptæ qvantitatis, aut ejus qvod pro ratione bonorum inſcriptorum ſibi deinceps collectarum nomine injunctum fuerit. Klock *d. l. n.* 37. Et mirum igitur hinc non eſt, qvod docent Doctores, immunem ſive eum, qvi habet privilegium immunitatis ab omnibus collectis & tributis, ſi deſcribatur in libro cenſuali, perdere privilegium, niſi intra decem dies â tempore ſcientiæ appellaverit. Franciſc. Balb. *de præſcript. part. 4. IV. qvæſt. 30. n. 7.* Anton. Gabriel. *commun. concluſ. tit. de jur. immun. concluſ. 1.* Dav. Mev. *part. 5. deciſ. 70.* Videtur enim qvi deſcribi facultates ſuas patitur, receſſiſſe ab eo, qvod habuit, privilegio, & contraxiſſe cum Rep. non velle ſe amplius uti ſuo privilegio, ſed velle in poſterum onera communia ferre, & collectas impoſitas exſolvere.

XXXIII. Cæterùm qvaliter profeſſio facienda & liber cenſualis conſcribendus ſit, enucleatè tradit Ulpianus in *l. 4. ff. de cenſib.* cujus verba hîc legere operæ erit precium: *Formâ cenſuali*, inqvit, *cavetur, ut agri ſic in cenſum referantur: Nomen fundi cujus, & in qvâ civitate & qvo pago ſit, & qvos duos vicinos proximos habeat, & id arvum qvod in decem annos proximos ſatum erit, qvot jugerum ſit: vinea qvot vites habent olivæ qvot jugerum & qvot arbores habeat pratum qvod intra decem annos proximos ſectum erit, qvot jugerum, pascua qvot jugerum eſſe videantur, item ſilvæ cæduæ. Omnia ipſe, qvi defert, æſtimet. Illam æqvitatem debet admittere cenſitor, ut officio ejus congruat, relevari eum, qvi in publicis tabulis delato modo frui ex certis cauſis non poſſit. Qvare & ſi agri portio chasmate perierit, debebit per cenſitorem relevari. Si vites mortuæ ſint, vel arbores aruerint, iniqvum, eum numerum inſeri cenſui. Qvod ſi exciderit arbores, vel vites, nihilominus eum*

nume-

numerum profiteri jubetur, qvi fuit censûs tempore, nisi causum excidendi censitori probabit. -- In servis deferendis observandum est, ut & nationes eorum, & ætates, & officia & artificia specialiter deferantur. Lacûs qvoq; piscatorios & portus in censum dominus debet deferre. Salinæ si qvæ sunt in prædiis & ipsa in censum deferendæ sunt. Si qvis inqvilinum vel colonum non fuerit professus, vinculis censualibus tenetur. &c. Vincula illa censualia interpretatur glossa, qvod res committatur in fiscum, vel aliud tantum, qvantum fuerit subtractum ex propriis facultatibus in fiscum inferendum sit. Unde crimine fraudati censûs tenentur, qvi non omnia qvæ habent describi faciunt, *l. 53. ff. de judic.* Puniuntur etiam ipsi peræqvatores. Nam si de negligentiâ vel gratiâ convicti fuerint, non solum bonorum jacturam, sed etiam annonarum in qvadruplum mulctam subire jubentur; ea verò, qvæ in damnum provincialium fuerint accepisse convicti, in qvadruplum exsolvere tenentur. *l. 6. C. de cens.*

XXXIV. Qvia verò bona civium non uniusmodi semper manent, sed augentur aliqvando, aliqvando minuuntur, facilè hinc apparet, non perpetuam esse posse, nec uniformem tributi collationem; sed si deterior sine culpâ domini redditus fuerit fundus, qvin remissio tùm fieri debeat, dubium nullum est, *d. l. 4. ff. de censib.* Anton. Perez. *Cod. de indict. n. 42.* Consequens hinc est, catastra censitorum mutari aut emendari debere, qvoties tale qvid contigerit, contingere autem solet inter unius civitatis cives qvàm sæpissimè, & qvoties etiam ad alium possessorem bona pervenerint. Petr. de Ubald. *de collect. n. 18.* Andr. Knichen *encyclopæd. cap. 10. num. 108,* Anton. Perez. *Cod. de annon. num. 40.* Qvapropter possunt gravati exigere æstimum inspiciendum, ut videant, an alius alio magis gravetur, & an pauper magis, qvàm dives. Qvin & nemine petente vel urgente, si in æstimo aliqva reperiatur inæqvalitas, corrigi, reformari & mutari id debet qvocunq; tempore. Perez. Cod. *de censib. num. 12. 13.* Add. Carpzov. *lib. 4. respons. 73.*

XXXV. Consequens hinc est porrò, qvotiescunqve per injuriam temporis sive ex calamitate bellicâ, sive contagio Domini perierint, aut cedere coacti, atq; prædia hinc deserta fuerint, onus

eorum non imponendum esse reliqvis, qvi superstites manserunt. Petr. de Ubald. *de collect. n. 31.* Gasp. Roderic. *de ann. redit. lib. 2. qvæst. 15. n. 95. in fin.* Solent qvidem qvantoqve agri defecti aut destituti illis, qvi præsentes adhuc sunt, ad culturam tradi, & tùm non nego, onus eorum â cultoribus agnosci debere, *arg. l. 1. C. de omn. agr. desert. lib. XI. Novell. 128. c. 8.* cùm, uti supra dixi, onus hoc collectarum fructuum perceptionem seqvatur. At fieri nihilo minus potest (& factum id bello nupero Germanico durante qvàm sæpissimè) ut nec residui qvidem colendis agris sufficiant, nec inveniantur porrò, qvi fructus inde natos consumere qveant. In hâc ergò vastitate tantum abest, ut onera prædiorum desertorum reliqvis adhuc fertilibus aggregari, & ab horum cultoribus exigi debeant, ut potiùs sub largissimâ immunitate invitandi sint extranei, qvi agros ejusmodi colendos suscipiant.

XXXVI. Nec verò compensatio sterilium & cultorum agrorum, cujus fit mentio in *l. 4. C. de censib.* locum semper habet, qvam propterea etiam improbat & rejicit Honorius Imp. *l. 12. C. Theod. de censitor.* præsertim, qvando integræ civitates de desertis agris conqveruntur, qvorum sæpè onera tanta sunt, ut ferri & sustineri â civibus, qvi supersunt, neqveant. Qvin & in casu, qvo compensatio fieri potest, non ea simpliciter & promiscuè decernenda est, sed probè perpensis & examinatis omnibus circumstantiis. Si qvis enim propter agros squalidos, jejunos aut steriles relevari atqve imminui censum sibi adscriptum velut nimis gravem postulaverit, cum illis verò alios opimos & idoneos possideat, exæqvato & in unum collato universo ejus patrimonio Peræqvator videre debet, qvid facto opus sit, an tales sint vires aliorum fundorum, ut sterilium pensioni nihil detrahendum sit, an verò detrahi aliqvid oporteat. Qvod si verò qvis ipsa tantùm prædia defecta & nulla alia possideat, iniqvum erit, aliqvam ulteriorem ab eo exigere collationem. *l. 14. Cod. Theod. de censitor.* & ibi Jacobus Gothofredus. Et hoc etiam observari debet, sicubi integræ civitates aut provinciæ remissionem petant.

XXXVII. Poterit tamen in gravissimâ necessitate, qvam evitare aliter non licet, qvæqve extremam Reip. ruinam minatur, collecta civibus ita imperari, ut pro destitutis etiam & desertis

ædibus

ædibus onera sustineant. Neq; indignari illi aut ægrè ferre hoc debent, cùm nec tùm qvidem, qvando habitatæ fuerint ædes universæ ac singulæ, nec ullæ inter eas desertæ inveniuntur, justa semper in casu necessitatis observari possit proportio & æqvalitas. Et extra ordinem qvæ contingunt, ut ordinario expediantur modo, fieri vix potest, accedente præsertim consternatione publicâ, qvæ ordinaria remedia plerumqve respuit. Cessante vero calamitate, & periculo, qvod imminebat superato, postqvam restituta sibi est civitas, justum est, ut restituatur id, qvod ultra debitum solutum est, sive ex aliorum concivium subsidiis, sive ex ipsis prædiis desertis. Petr. de Ubald. *de collect. n. 46. in f.* Roland. â Valle *consil. 66. n. 14. vol. 1.*

XXXVIII. Extra casum necessitatis non solùm legibus, verum etiam æqvitati naturali contrarium est, pro alienis debitis alios molestari, *l. un. C. ut null. ex vican. lib. XI.* Et qvanqvam aliqvi hic distingvant collectam â tributo, qvod tributum â totâ universitate, collecta â singulis solvi debeat, atqve hinc inferant, auctâ vel diminutâ universitate tributum augeri vel minui non debere, neq; Principi hinc aliqvid decedere sed reliqvis civibus deficientium portiones atq; onera accrescere, Casp. Klock *de contrib. cap. 17. n. 152, seq.* non videtur tamen id vel obtineri semper posse, vel exigi debere. Nec profectò vel Christianum vel æqvum aut justum est, depauperatis subditis & vastatâ provinciâ Principem pristinos suos reditus exigere, suisq; emolumentis nihil omninò decedere velle. Et qvis est, qvi per diuturni belli Germanici calamitates non expertus fuit, plerasqve omnes civitates ad eam egestatem redactas fuisse, ut ipsi sæpè principes vix haberent, unde viverent? Ex qvo factum deinceps, ut & imperantes & parentes æs alienum contrahere necesse habuerint. Atq; id qvantas post restauratam pacem in judiciis dederit molestias nemo est, qvi ignoret. Supersunt etiamnum rudera pristinæ culturæ, sed defecta & suis destituta dominis, neq; qvisqvam est, qvi squalidos istos, caducos, & afanticos fundos, uti vocantur in *l. 3. Cod. Theod. de Censitor.* colere velit, nisi & tributa anteacti temporis remittantur, & in futurum ad aliqvot annos immunitas concedatur. Idq; non in illis tantùm contingit, qvæ â singulis debentur,

sed

sed etiam qvæ solvenda sunt ab universitate, qvandoqvidem integræ haud rarò universitates, non civitates tantùm, ut exemplum est in *l. 8. C. Theod. de Censitor.* sed integræ etiam provinciæ uti ex *l. 2. & 12. Cod. Theodos. de indulg. deb.* patet, remissionem petere necesse habent. Et qvomodo igitur in tali casu dici poterit, propter agros & fundos sqvalidos & desertos nihil omninò ex reditibus Principis detrahi debere, sed eorum portionem ab reliqvis exigendam esse? Laudandus hîc omninò Honorius Imp. qvi provinciæ Campaniæ qvingenta viginti octo millia qvadraginta duo jugera propter vastitatem concesit, i. e. immunitatem â tributis de cœtero largitus est, concrematis libris censualibus, qvi confecti fuerant, *d. l. 2. C. Th. de indulg deb.*

XXXIX. Redeo ad catastrum seu librum censualem, cujus tanta debet esse fides, ut neqve contradictionem patiatur, neqve præsumptionem in contrarium. Præter alios enim effectûs etiam hunc habet, qvod plenè probet, locum seu hominem solventem censum esse de territorio & sub imperio ejus, qvi eum producit. Balth. Conr. Zahn *in ichnograph. municip. c. 58. n. 12.* Ratio est, qvia nec loco, nec personæ imponi potest tributum, nisi propter subjectionem. Qvod si qva circa subjectionem incidat mutatio, dubium non est, etiam hoc casu mutari catastrum oportere, cùm diutius id subsistere neqveat, qvàm qvoad res in eodem statu permanserit. Sic igitur probationes omnes, qvæ ex libris istiusmodi petuntur, ad id tempus reducendæ sunt, qvo confectæ aut mutatæ fuerunt cùm rerum contingentium non alia possit esse certitudo, qvàm qvæ ex præsenti aut præterito tempore innotescit. Ex qvo simul patet, qvod ante dixi, bonis subditorum vel auctis vel diminutis ipsum qvoq; catastrum mutari debere, si qvidem æqvalitas inter cives observari debeat; cùm & physicè & moraliter impossibile sit, ut eadem perpetuò ferat onera, qvi non easdem perpetuò retinet facultates. Idq; non de singulis tantùm civibus asserendum est sed etiam de universis & integris civitatibus, in collatione ad alias ejusdem provinciæ civitates.

XL. Delatis ita & æstimatis cujusqve bonis, & libro insuper censuali confecto facilis erit tributorum impositorum distributio, qvam secundum æs & libram h. e. ad proportionem facultatum cujus-

cujusqve fieri debere dixi. Atqve id ejusmodi tributum tàm æqvum est, ut civis nomine indignus sit, qvi id conferre nolit. Nec enim dicere tùm qvisqvam poterit, injuriam sibi fieri, seqve plus aliis oneratum esse. Pro ratione qvippe facultatum tantum qvisqve ex ditioribus confert, qvantum alius ex pauperioribus; qvanqvam si utriusqve tributum simpliciter consideretur & comparatio extra facultates, qvas qvisqve habet, instituatur, majorem summam conficiat id, qvod à ditiore confertur, qvàm qvod à pauperiore aliqvo. Finge aliqvem sexcenta habere in bonis, alium ducenta, illum solvere in ærarium viginti qvatuor, hunc octo. Dico, non plus solvere illum ex bonis suis, qvi possidet 600, qvam solvit ille, qvi 200. tantùm possidet. Uterqve enim solvit partem vigesimam qvintam bonorũ suorum, etsi seorsim sine respectu ad bona possessa consideratæ qvantitates æqvales non sint, sed altera triplo major existat.

XLI. Ne tamen & hîc aliqva in distributione committatur iniqvitas, jubendi sunt Peræqvatores adscriptionem ita factam Magistratibus aut superioribus exhibere, qvi deinde discutiant & expendant, utrum justa ubiqve servata sit proportio, an verò prægravati aliqvi fuerint injustè. Sic enim noluit Theodosius junior Imp. executioni mandari ejusmodi adscriptiones, qvam apud acta provinciarum Rectoribus intimatæ & ex eorum autoritate firmatæ fuerint, *l. 1. de apoch. publ. & descript. Curialib. lib. X.* Facienda etiam est potestas ipsis civibus, qvi gravatos se â peræqvatoribus conqveruntur, qviqve injusto oneri impares se clamitant, perlustrandi adscriptionis tabulas, ut qvid remissum gratia, qvid interceptum fuerit fraude, convincant, & ex eo levamen accipiant, qvod per deformia & criminosa commercia sibi impositum esse deplorant, ut aliis demeretur. *l. 5. Cod. de cens.* Et hâc ratione vix fieri potest, ut æqvalitas non ubiqve servetur, utqve de injuriâ sibi factâ qvisqvam conqveratur ampliùs. Et tamen qvotidiè videmus & experimur, rationales & exactores facili acqvæstu tantas sibi brevi temporis spacio fortunas parare, qvantas vix qvisqvam per totum vitæ suæ cursum immensis & infinitis laboribus.

XLII. Et hæc qvidem, uti dixi, qvæ ad æs & libram fit, distributio, omnium optima est & æqvalissima. Qvæ enim juxta numerum capitum indicitur, ut tantundem scil. conferat ditissimus qvisqve, qvantum pauperculi servi & ancillæ, æqvalitatem qvidem aliqvam, eamqve uniformem & simplicem, comprehendere videtur, talis tamen plerumqve est, ut ubi semel in usum deducta & imperata fuit, non facilè deinceps iteretur, certissimo argumento, vel non obtineri potuisse summam & qvantitatem expectatam, vel non adeò æqvam visam fuisse. Dictum sacræ Scripturæ *Exod. XXX, 12. & 15.* qvod nonnulli in exemplum adducunt, planè nihil facit. Tributum enim illud â Deo ipso ad usus sacros institutum fuit, ut agnoscerent Israelitæ se ipsos & vitam suam debere Deo, & hâc velut homagii præstatione ejusdem usum redimerent. Æqvale autem imperatum fuit omnibus, nullâ habitâ ratione facultatum, ut scirent singuli, se totos DEI esse, & apud Deum æqvè pretiosum esse unicujusqve eorum vitam. Fuit etiam figura pretii veræ redemtionis animarum nostrarum, qvod unum & æqvale pro omnibus datum est, uti exponit Andr. Rivet. *in comment. ad istum locum.* Usus igitur talis tributi cum non fuerit politicus, & alium planè finem habuerit, nullum exinde ad rem præsentem peti poterit argumentum. Nec tamen improbo prorsus tributum capitis, si qvando Princeps id imperet, cùm & per recessum Imperii Augustanum anno 1518, modus iste comprobatus fuerit; simul verò id assero, hâc collectandi ratione, nisi extremum immineat periculum, & summa Reip. exigat necessitas, non utendum esse.

XLIII. Qvæ secundum fumantes fit indictio, nach den Feuer-oder Herdstetten / ipsa etiam suos patitur defectus: Ut enim alios taceam, poterunt in magnificis ædibus habitare homines pauperrimi, qvibus nec tantillum supereſt, unde solvere collectas qveant. Illos verò ad idem tributum, qvod alii ditiores conferunt, adigere velle tàm erit iniqvum, qvàm imperare, ut puer octo annorum eandem ferat sarcinam, qvam gestavit Vir annorum triginta. Et qvæ verò tùm erit proportio inter fumantes, si omnes eidem censui subjiciantur? non alia sanè, qvam qvæ est in capitatione inter divitem & pauperem, h. e. omninò nulla,

aut

aut certè parum æqva. Qvod igitur de capitatione diximus, îdem id de hàc ſpecie intellectum volumus, rariſſimè ſcil. modo hoc, & non niſi extremâ neceſsitate urgente utendum eſſe, & nec tùm qvidem, niſi alius non ſuppetat.

XLIV. De exactione nunc videndum eſt, qvatenus ea inſtitui debeat. Nec enim ſufficit decretas & imperatas eſſe collectas, eſſe etiam unicuiqve certam earum portionem adſcriptam, niſi actuali ſolutione in commune ærarium conferantur. Hîc verò lubentiores ſæpè optarem cives, & promptiores ad connumerationem, qvàm pleriqve hodiè exiſtunt. Meminiſſe deberent, tàm non poſſe ſervari incolumem Remp. ſine tributis, qvàm corpus humanum ſine cibis. Ipſe Salvator tributum dedit, ſuoqve exemplo præire voluit aliis. *Matth. XVII, 27.* qvin & de tributo dando monitum addidit, *Matth. XXII, 21.* qvod & Paulus repetiit, *Rom. XIII, 7.* uti leges iſtas collegit Franciſcus Raguellus & commentario illuſtravit Laurentius Bochellus ſub *tit. 24.* Laudat Livius *lib. 4.* Romanorum promptitudinem, qvod poſtqvam propter inopiam militum & defectum ſtipendiorum ad tributi indictionem ventum fuiſſet, primiqve Patres æs grave plauſtris ad ærarium convexiſſent, reliqvi omnes deinceps, tribunis plebis neqvicqvam vetantibus, certatim contulerint. Id verò hodiè vel omninò vel à paucisſimis expectandum erit, cùm plerorumqve ea ſit animi pertinacia, ut niſi à Creditoribus urgeantur, etſi diem interpellantem ipſi non ignorent, debitâ â ſe oppidò rarò agnoſcant.

XLV. Statuunt Moraliſtæ, ſubditum habentem opinionem probabilem, injuſtum eſſe tributum à Rege impoſitum, non teneri illud ſolvere. Vid. qvos hanc in rem adducit Thomas Hurtado *reſolut. moral. tr. 3. cap. 2. n. 74.* Putatqve Franciſcus â Victoria *relect. 4. n. 18.* leges inæqvaliter onera diſpenſantes injuſtas eſſe, & in foro conſcientiæ non obligare. Sed periculoſa eſt hæc ſententia & Reip. damnoſa. Etiam Diſſentientes obligari, diximus ſupra, ſi qvidem â majori parte de collectis faciendis decretum fuerit. Multo magis ergò obligabuntur, qvi de juſtitiâ collectarum dubitant, aut injuſtas eſſe opinantur. Nec enim opinio hæc vel imponentium autoritatem, vel Reip. neceſsitatem

tollere poteſt. Et fortaſſe probabilis illa opinio non alio nititur fundamento, qvàm habendi & retinendi cupiditate. Leges verò inæqvaliter onera diſpenſantes ſæpè digeſtionem materiæ & moram non patiuntur. Et jam ſupra dixi, corrigendam eſſe neceſsitate ceſſante eam injuſtitiam. De eſſentia legis non eſt, ut ſit juſta, nec permittendum ſubdito, ut de legis juſtitiâ, niſi manifeſtam contineat impietatem, diſceptet. *Si dura ſint, qvæ imperantur,* inqvit Hadrianus Saravia *de imperandi autor. lib. 2. cap. 54. præceptum Domini occurrat: Si qvis tibi tuam tunicam capere voluerit, dimitte ei & pallium: ſi te angariaverit, ut eas mille paſſus, ito alia duo millia. Hæc ut benè intelligantur de privatorum injuriis, meliùs de oneribus publicis, qvæ imponuntur â magiſtratibus, interpretari licet. Nam ſi patienter privatorum injuriæ ferendæ ſunt, multo magis magiſtratuum &c.* Cognitio de qvanto tributorum & verſione in Remp. non ſpectat ad populum ſed ad magiſtratum & eos, qvibus ex pacto vel conſvetudine competit. Hülſemann. *breviar. cap. 20. n. 15.*

XLVI. Ejusdem farinæ eſt, qvod ſtatuunt nonnulli, tributa impoſita & â miniſtris non poſtulata, poſſe ſalvâ conſcientiâ non ſolvi, qvanqvam in hoc non omnium eadem ſit ſententia, uti videre licet apud Joh. Azor. *Inſtitut. moral. part. 3. lib. 5. c. 22. qvæſt. 3.* Diſtinctiones qvas hîc faciunt, adaptari haud poſſunt monito Apoſtolico, qvod habetur *Rom. XIII, 6. & 7. Propter hoc,* inqvit, i.e. propter conſcientiam *ſolvitis tributa, ſiqvidem miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum incumbentes,* i. e. ut bonos tueantur & malos puniant, non præcisè & principaliter ut exigant à ſuis ſubditis tributa, uti Robertus Rollocus exponit *ad d. l.* Sed & legi charitati, qvâ erga bonum publicum unusqvisqve tenetur, repugnat, ſubtrahere ea, qvæ bono publico promovendo deſtinata ſunt. Imò verò Principem tributis defraudare gravius eſt peccatum vulgari furto, per qvod privatus damno afficitur, uti ſtatuit Saravia *d. lib. 2. cap. 51.* cumqve turpius ſit furtum liberorum, qvi expilant ſuos parentes, qvam qvi alienos, longè turpiſsimum furtum ſit oportet, qvod in Regem aut Principem committitur.

XLVII. Ne igitur Resp. subsidiis his, qvibus carere non potest, defraudetur, utve morosi debitores ad solutionem compellantur, exactione opus est, eâqve violentâ sæpè & irresistibli. Et si qvidem res in judicium deducta fuerit, rectè sentiunt Doctores, de plano & levato, qvod ajunt, velo procedi oportere, & â præceptis executivis initium fieri posse, adeò ut & citatio emitti, & si sententia pronunciata aut decretum interpositum fuerit, appellatio rejici qveat. *l. 4. l. fin. C. qvor. app. non recip.* Qvæ tamen sententia restringenda est ad casum istum, qvando causa est liqvida, sive ut in *d. l. 4.* dicitur, qvando tributariæ functionis munus evidens atqve convictum fuerit. Secus, qvando debitum est dubium, *l. 18. C. de appell.* vel qvia jus collectandi non apparet, vel qvia causa collectæ in ambiguo est, vel qvia iniqva est impositio. Dav. Mev. *part. 1. decis. 148. 149.* dummodo longiorem disceptationem patiatur necessitas imminens, qvæ aliàs processûs omnes & longiorem judicii tractum respuit. Et hæc ratio est, cur ad processum in hâc materiâ executivum ultra nexum obligationis ac solvendi necessitatem reqvirant Doctores, ut agatur de collectis præsentibus & nec tùm persolutis, non verò de præteritis. Casp. Klock *de contribut. cap. 18. n. 30. seq.* qvia propter præterita nullum amplius Reip. metuendum est damnum. Nisi, qvod limitationis loco additum velim, præterita ista ad præsens periculum avertendum noviter adsignata fuerint, qvia tùm pro præsentibus haberi debent.

XLVIII. Qvapropter etsi in causâ collectarum & contributionum appellationes omnes interdictæ fuerint, restringendum tamen id semper est vel ad casum liqvidi, vel necessitatis inevitabilis. Cum enim tanta sæpè sit exactorum improbitas, ut ex non debito faciant debitum, & intempestivè nonnunqvam atqve sine discrimine possessorum collectas à multis retrò annis debitas manu militari exigant, iniqvum profectò erit, omnes ejusmodi neqvitias perpeti, & ad unius nefarii hominis libidinem fortunas suas prostitutas habere. Finge ad tertium possessorem venisse ædes sub hastâ venditas, emptorem annuâ, bimâ, trimâ die, ut convenit, solvere pretium, idqvè in judicii loco deponere, nec ullam hîc contrahere moram, solvere etiam tributa à se, qvoad

ædes possederit, debita, precium ipsum cedere Creditoribus per concursum de prioritate litigantibus, exactorem verò tributorum nolle expectare sententiam, sed tributa â multis retrò annis ante venditionem ab anteriôribus possessoribus debita ab novo emptore rigidè poscere, illumqve de deposito & soluto precio excipientem audire nolle, numqvid putabimus, exactori id licere, nullamq; tùm ad judiciale forum interponi provocationem debere? Imò verò Reip. maximè interest, dispicere, neqvis ab hirudinibus istis injuriam patiatur, & ut ipsa etiam causa tributaria intra justitiæ limites persistat. Atq; tales casûs intra unius civitatis pomoeria occurrere possunt plures.

XLIX. Sanè vix fieri potest, ut damnum sentiat Resp. etsi multo ære alieno gravatæ fuerint possessiones, de qvibus inter Creditores disceptatur, nisi damnum interpretari velis illud, qvod non tempestivè soluta fuerint tributa. Id qvod tamen inter prætérita refertur, & salvâ nunc Rep. non ampliùs curatur. Aliàs enim propter collectas & tributa debita, duplici modo prospectum est Reip. tùm per jus hypothecæ, qvod habet in bonis debitoris, tum per privilegium prælationis, qvod habet in concursu. Utrumqve ex lege venit, & jure constituto, utrumqve insignes producit effectûs. Qvod hypothecam attinet, ea fundata est in *l. 1. C. si propter publ. pensitat. & l. 1. C. in qvib. caus. pign. vel hyp. tac. contr.* atqve ea illicò post indictionem tàm prolixas agit radices, ut universa debitoris bona afficiat, non ea tantùm, qvibus tributum impositum est. Ratio est, ut eo securior reddatur Resp. & ut extinctâ re unâ id qvod debetur Reip. ex aliis peti possit, cùm præsertim Reip. etiam actio personalis adversus debitorem competat. Ex qvo conficiunt nonnulli, subditum ab hoc onere non liberari, etiamsi renunciare velit prædiis, propter qvæ onus subire tenetur. Maximeqve memorabilis est sententia Baldi, qvam refert Antonius Perez. *Cod. de indict. n. 27.* dum inqvit: *Qvod si Rustico imposita fuerit collecta ratione alicujus domunculæ, & adeò multiplicatæ sint collectæ, ut excedant valorem istius domûs, non tamen liberabitur â collectis, qvamvis illi domunculæ renunciaverit, qvia hoc onus non est merè reale, sed annexum personæ propter rem: unde licet res deficiat propter renunciationem, non tamen*

men deficit persona, qvæ ex se principaliter manet obligata, ratione subjectionis. Add. Franzk. *lib. 1. resolut. 7. num. 48.* Carpzov. *lib. 4. respons. 78. n. 17. 18.*

L. Sed restringendum hoc est ad eum casum, qvo possessor ipse, qvoad possedit, collectas & tributa accumulari fecit. Si qvando enim fundus ad alium tertium pervenit, nomine collectarum præteritarum â venditore debitarum non potest exactor compellere emptorem aliumve tertium possessorem, nisi tantummodo ratione rei possessæ, & ratione qvanti ex istâ re possessâ debiti, nec potest convolare ad alias res proprias ipsius emptoris, *arg. l. 2. C. de præd. & omn. reb. navicul. lib. XI.* Carpzov. *d. l. num. 11.* Add. Amæd. â Ponte *de laudem. qvæst. 45. n. 20.* Ergo nullâ tùm tenebitur possessor actione personali, Id. Carpzov. *lib. 5. respons. 98. n. 7.* neqve hypothecariâ generali, imò ne speciali qvidem, sicubi sub hastâ ipsi prædium emptum fuerit. Ita enim jus est, ut extingvantur hypothecæ, qvamprimum res subhastata licitatori adjudicatur. *l. 8. de remiss. pign.* Neguzant. *de pign. part. 6. m. 3. n. 25.* Neqve obstat textus in *l. 36. ff. de jur. fisci*, qvia præsupponitur ibi distractum ideò prædium, ut ex precio tributa præteriti temporis solvantur. Ex qvo porrò infero, licere hoc casu tertio possessori exactorem per exceptionem ædium liberarum repellere, aut in eventum, qvando hypothecaria adhuc locum habuerit, renunciare fundo empto, eumqve cedere.

LI. Privilegium prælationis, qvod propter tributa fisco competit, fundatum est in *l. 1. C. si propt. pensit. publ.* Idqve privilegium utilitas publica expresit, qvod in tributis nervi Reip. consistant. Non igitur qvod propter tributa competit privilegium, ad alias causas extendendum est, cum in qvamplurimis privatus anteriorem hypothecam habens potior sit. *l. 8. l. fin. §. 1. ff. qvi pot. in pign.* Vid. Wissenbach. *ad Pandect. part. 1. disp. 40. num. 14.* Sichard. *ad l. 4. C. qvi pot. in pign. n. 3. 4.* Sed & hoc restringendum est privilegium solùm ad eorum bona, qvibus tributa indicta fuerunt, ad bona verò Collectorum sive exactorum propter pecuniam ex administratione residuam extendendum non est, cum id debitum veniat ex contractu â fisco cum administratore inito. In contractibus autem præter tacitam hypothecam non

aliud

aliud habet fiscus privilegium, qvam qvod in rebus post qvæsitis potior sit eo, cui debitor ante obligavit bona præsentia & futura, *l. 28.ff. de jure fisc.* Franzk. *l. 1. resolut. 14. num. 22.* David Mev. *part. 4. decis. 253.* De qvo tamen ipso multa adhuc inter Doctores est controversia. Vid. Wissenbach. *part. 2. disp. 39. n. 10.*

LII. Jus tale, qvod fisco in bonis debitorum propter tributa competere diximus facit, ut prædia ipsa, ob tributorum & collationum cessationem auferri domino & vendi possint, *l. 1. & 2. C. si propt. publ. pensitat. l. 8. C. de exactor. tribut.* Roland â Valle *vol. 4. consil. 79. num. 3. 4.* Ratio est, qvia interest Reip. tributa exsolvi, & ærarium publicum conservari. Atqve sic etiam jubet Constantinus Imp. *l. 1. C. de cap. & distr. pign.* res eorum, qvi fiscalibus debitis per contumaciam satisfacere differunt, distrahi. In genere dicit, RES EORUM, ut non prædium tantùm ipsum tributarium, sed & alia ejus, qvi tributum debet, capi & vendi posse, innueret; id qvod etiam ex aliâ Constantini constitutione colligitur, qvæ extat in *l. 3. C. si propt. publ. pensit.* Estqve venditionis hujus effectus iste, ut etsi aliena, non fisci propria, res fuerit, fisc9 tamen venditor statim dominum faciat emptorem, & priori domino non nisi ad precium actionem, eamqve temporalem, qvadriennio circumscriptam, relinqvat, *l. 2. & 3. C. de qvadr. præscript.* Qvod posterius qvidem in favorem fisci, prius autem favore emptoris constitutum fuit â Zenone, ut facilius allicerentur homines ad res fisci emendas, si intelligerent, se amplius inqvietari non posse. Nicol. Burgund. *de evict. cap 36. num. 2.* Et hoc est qvod dicunt Imperatores, venditionem convelli non debere, emptorem perpetuam accipere emptionis firmitatem, & venditionem ne qvidem priore domino precium offerente revocari oportere *d. l. 1. 2. & 3. C. si propt. publ. pensit.*

LIII. Observandum autem est, non propter omnem dilationem solvendi tributi statim debitoris bona distrahi debere, sed propter eam demum, qvæ cum aliqva fuerit vel contumaciâ vel morâ conjuncta. Sic enim etiam veteres JCti responderunt, pro pecuniâ tributi, qvod suâ die solutum non est, qvo minus prædium jure pignoris distrahatur oblatam moratoriam cautionem non admitti. *l. 5. §. f. ff. de censib.* Neqve tamen omnis prorsus

sus debitoribus dilatio deneganda est, si qvam petant ad pecuniam comparandam, neqve illicò auferenda sunt bona, simulatq; effluxus fuerit dies, qvo solvi tributa debuerunt. Etsi enim dies interpellet pro homine, & per illius effluxum debitor in morâ constituatur, incivile tamen est, manus illicò injicere, & vel non petenti dilationem, bonis exuere, vel petenti, eam denegare. Qvanto verò tempore cessatum aut continuatum esse oporteat in non solvendo tributo, aut qvousq; dilatio concedi debeat, non omnium eadem est sententia. Plerasq; eas recenset Jacobus Menochius *de arb. jud. qvæstion. lib. 2. cas. 55.* qvi concludit tandem, arbitrio judicis id relinqvendum esse. Istud tamen arbitrium intra certos limites olim coercitum fuit, uti patet ex *l. 45. §. 10. ff. de jur. fisc.* ubi dicitur: *Fiscalibus debitoribus petentibus ad comparandam pecuniam dilationem negari non placuit. Cujus rei æstimatio ita arbitrio judicantis conceditur, ut in majoribus summis non plus, qvam tres menses, in minoribus verò non plus qvàm duo prorogentur, prolixioris autem temporis spatium ab Imperatore postulandum est.* Add. Francisc. Balduin. *de leg. Constantini lib. 2.*

LIV. Cæterùm ut venditio firma maneat, nec convelli qveat, probè observanda sunt reqvisita, qvæ ex *l. 2. C. si propt publ. pensit.* hoc ordine colliguntur. *Primum* est, ut fiat ob cessationem collationum, qvippe qvæ principalis causa est, propter qvam fisco hæc competit potestas, ut rem alienam vendere possit. Vim facit vel Princeps vel Magistratus, qvi subditis bona aufert sine causa. *Deinde* ut præcedat permissio aut decretum Præsidis sive Magistratûs, qvi consideratis omnibus circumstantiis judicare debet, num tanta sit Reip. necessitas, tanta rei qvorum qvantitas, tanta debitoris vel inopia, vel calamitas, vel contumacia & morositas, ut ad venditionem procedendum sit. *Tertiò*, ut fiat venditio ab his, qvibus periculum exactionis tributorum imminet, qvod qvale sit, multis explicat Klock *de contribut. cap. 18. n. 227. seq.* *Qvartò*, ut fiat bonâ & sincerâ fide, sine fraude & sine intentione ægrè faciendi. *Qvinto*, ut fiat justo precio, & *Sextò*, ut fiat solenniter i. e. præviâ subhastatione solenni & legitimâ. Addunt alii, ut precium de præsenti solvatur, qvod fides de precio in tali casu haberi neqveat, *per l. 5. §. 1. ff. de jur. fisc.* cùm

& aliàs res captas pignori & distractas præsenti pecuniâ distrahi oporteat, *l.15. §.7.ff.de rejud.* Sed hoc mutatum esse videtur jure nostro Saxonico per *constitut.32.p.1.* uti notat Daniel Mollerus *ibid.n.10.* Addo ego *Septimum*, ut si prædia deserta, & domini absentes fuerint, speciali, aut in eventum edictali citatione ad actum subhastationis citentur. Justum autem precium forte non aliud est, qvàm qvod ex subhastatione legitimè institutâ resultat, qvanti scilicet plurimi res subhastata vendi potest cum nulla res pluris aut majoris precii sit, qvàm prout emptorem invenit. Martin. Azpilcueta Navarr. *tom.3.c.23.n.78.* Petr. Nic. Mozz. *de empt. & vend. tit. de substantial.n.30.* Francisc. Card. Mantica *Lucubrat. Vatican. lib.4.tit.20. n.6.7 8.*

LV. Fateor iniqvum sæpè videri tale precium in comparatione ad illud, qvo antehac empta res fuit. Neqve improbo consilium & sententiam Carpzovii, qvam in *assyl.deb.th.71.* proponit, debere scil. magistratum rem ad pristinum statum revocare, & prædia vel adhuc subhastanda vel jam subhastata nullo reperto emptore, qvi æqvum offerat precium, ita taxari facere qvanti tempore acqvisitionis valuerint, idqve precium, qvod debitor ante hac exsolvit, vel saltem tale, qvod propius ad illud accedat, definire. Sed vereor ut ea res effectum habeat. Qvotus enim qvisq; est, qvi flagrante bello & ingruentibus atq; irruentibus undiq; malis, qvorum longissimam seriem nemo pervidere potest, domum, prædium, agrum eodem precio emere velit, qvo voluisset pacato adhuc rerum statu & prospero successu. Et qvis nescit, propter externas circumstantias precium augeri vel minui? inveniri emptores plures aut rariores? ut adeò in arbitrio non sit vel venditoris vel magistratûs, aliud ponere pretium, qvam qvod ipsa ponit temporis præsentis conditio. Qvocirca etsi venditor vix qvintam, imò etiam minorem partem acceperit precii ejus, qvo ipsi antehac res constitit, injuriæ temporis id adscribendū est, & necessitati, qvæ rem tanti vendere coegit. Nec poterit deinde crescentibus rerum preciis contractum semel perfectum & consummatum rescindere aut retractare, cùm justitia precii non ex seqventi aliqvo tempore, sed ex tempore, qvo contractus initus est, æstimari debeat, qvanti scil. eo tempore res vendi potuit, *l,8. in f.C.de rescind.vend.* Anton. Fab. *Cod. lib. 4. tit. 30. def.*

def. 2. Qvod multo magis in causa tributorum locum habet per *tot.tit.C.si propt.publ pensitat.*

LVI. Etsi autem venditio talis jure nitatur suo, & longâ experientiâ compertum sit, non aliter consuli qvandoqve communi bono posse, non temerè tamen â bono Magistratu ea instituitui debet. Triste est, res suas & prædia ab avis & proavis accepta sub hastâ videre exposita, eaq; vilissimo precio, ex qvo ipse ne teruncium qvidem sæpè percipit, divendita experiri, neqve adeò videre, unde alimenta posthac haberi qveant. Præscripto est in Hispaniâ exactoribus modus, qvem laudat & in hanc epitomen contrahit Antonius Perez *Cod. de exactor. trib. lib. X.* ne vi excutiantur miseri coloni vel cives, non eorum domus, aut paucæ aliqvæ pecudes eripiantur, non vis aliqva corporibus aut fortunis, si omninò exiguæ sint, inferatur, non priventur eâ unâ vitæ commoditate, qvam solam habent, & qvâ ademptâ necesse est, ut in exilium abeant, vel miserrimam perpetuo inopes vitam ducant. Utinam hic modus observari potuisset inter Germanos, & adhuc posset! feliciora certè subinde extitissent fata, neq; pervia tot hostibus aut prostituta fuisset nostra patria. At enim diversa omnia obtinuerunt. Major fuit superiore bello eorum numerus, qvi per nimias contributionum exactiones, qvàm qvi per hostium direptiones ad incitas redacti fuerunt. Plurimi, qvod ferre onera amplius nõ possent, cedere patriâ coacti fuerunt. Non fructuum amplius habita fuit ratio, sed ipsius totius substantiæ, dum ne deserta ea â possessore esset. Ex qvo factum, ut propter unum fundum triplo aut qvadruplo plus contributionis nomine exsolutum sæpè fuerit, qvàm ipsum ab initio possessori constitit. Nemo rerum suarum tàm securus & certus esse potuit, ut in crastinum sibi earum possessionem polliceri auderet. Coegit ista calamitas sæpenumero magistratus, ut prædia deserta sub hastâ exponerent, qvandoq; etiam addicerent nullo omninò constitutio precio, sed hâc tantùm sub conditione, ut novus possessor futura ferret onera, utqve subsidio & auxilio tantùm esset reliqvis concivibus. Sed desino calamitates istas, qvas ipse multo cum dolore non unis vicibus observavi, prolixiùs recensere. Redeo in viam & statuo, non licere exactoribus propter cessationem

tributorum qvosvis promiſcuè fundos ſub haſtâ diſtrahere ; ſed attendendam hîc eſſe neceſsitatem publicam , rationem ceſſationis , conditionem poſſeſſorum , qvalitatem fundi , & ejusmodi alia plura, qvæ ſæpè ne cogitata qvidem fuerunt,tantum abeſt, ut præcaveri potuerint. Et hoc eſt , nî fallor , qvod dicit Imperator in *d. l.2. C. ſi propt. publ. penſitat.* ſincerâ fide diſtrahi bona debitorum debere.

LVII. Pertinet huc etiam pignoris capio , qvippe qvæ ſimilem effectum habet,ut niſi venerit deinceps contumax & debitum exſolverit , vendi id qveat & diſtrahi. Sic enim per mores invaluit,nec rationi repugnat,aut legi civili,ut pignorentur ſubditi penſiones annuas non ſolventes. Et poterunt tùm pignorationes fieri in qvâvis re mobili,exceptis inſtrumentis ruſticis *l. 7. & 8. C. qvæ res pign. oblig.* Nec dicere poteris,cauſam tributariam potiorem eſſe , ut propter eam parci bobus aut inſtrumentis aratoriis minimè debeat. Rectè enim & eruditè ad *ad d.l.8.* obſervat Jacobus Ruſſardus , eam etiam in debitis fiſcalibus locum habere. Ratio eſt,ne abductis aratris ſqvalere contingat arva ; & proinde nihil ex iis capi poteſt,etiamſi ruſtici nihil aliud poſſideant. Petr. Peck. *de jur. ſiſtend. cap.5.num. 22.* Conf. Joh. Franc. Ripa *de peſte cap.4.num.221.ſeq.* Renat.Choppin. *de privileg. ruſticor.lib.1. cap.7.* In diſtractione talium pignorum non minus circumſpectos eſſe oportet exactores , atqve in diſtractione prædiorum tributariorum.

LVIII. Nec verò voluit olim Conſtantinus Imp.vel pignoris capiones vel prædiorum diſtractiones fieri ante qvam de contumaciâ debitoris ſufficienter conſtaret , adeò ut in eum caſum præmitti juſſerit cuſtodiam perſonæ,ſed militarem,apertam,& liberam. In carcerem detrudi tales debitores noluit,qvod carcer inventus fuerit ad coercendos homines pœnâ dignos,*l.2. C. de exactor. tribut.* Id qvod argumentum præbet ſummæ humanitatis atq; indulgentiæ,cùm aliàs ob privata debita in carcerem conjici qvis potuerit. *l.1. C. qvi bon. ced. poſſ.* Qvod ſi verò deinceps debitor in obduratâ neqvitiâ permanſerit,tùm demum exactori poteſtatem fecit Conſtantinus ad res omnemq; ſubſtantiam accedendi. Sed hoc , qvod ita â Conſtantino lege promulgatum fuit ,

moribus

moribus hodiernis haud paulo immutatum videtur. Potest n. hodiè ob fiscale debitum qvis in carcerem conjici, etsi possideat bona, qvæ capi & sub hastâ vendi qveant. Didacus Covarruvias *lib. 2. resolut. cap 1. n. 4. in fin.* Simon â Gronewegen *de legib. abrog. in Holland. ad d. l. 2.* atq; adeò ex sententiâ Bartoli optionem habet fiscus, utrum velit prius debitorem carceri mancipari, an ad bona ejus pervenire, ita ut etiam variatio licita sit. Anton. Perez. *C. de exactor. tribut. num. 19.* Klock *de contribut. cap. 18. n. 123.*

LIX. Solet alicubi etiam mulcta pecuniaria indici nî collectæ solvantur, & tùm si contumaciam auxerint debitores, non collectæ tantùm, sed ipsæ etiam mulctæ exigi possunt & solent. Klock *d. l. num. 73.* Verùm iste procedendi modus videtur tantùm adversus eos exerceri posse aut debere, qvi cum bonis abundant, collectas solvere recusant, atq; adeò in extremâ veluti contumacia persistunt. Si cui verò angusta res domi fuerit, & tantum vix supersit, ex qvo collectas aut tributa solvere qveat, improbus planè erit exactor, qvi afflicto afflictionem addere, & mulctam insuper exigere velit pecuniariam. In illis verò casibus, qvibus mulctam indicere licet, etiam id tenendum est, non cedere eam exactori, sed in commune ærarium inferendam esse, tùm qvia causa ipsa est publica, tùm qvia metuendum aliàs esset, ne plus mulctæ qvam collectarum nomine exigeretur, dum sine dubio oppidò faciles tùm extituri essent exactores ad mulctas indicendas.

LX. Usitatissimus per Germaniam exigendi modus hactenus fuit ille, qvi fit per manum militarem, qvi & olim aliqvando ab Imperatoribus probatus fuit, uti patet *ex l. 1. Cod. de offic. præf. Augustal.* Sed observat Klockius *d. l. num. 90.* modum istum non omninò extra periculum esse, docuitq; experientia, plurimas inde excitatas fuisse seditiones. Plerisq; tamen executio ista tàm gravis extitit, ut cum facultatibus ipsum qvoq; animum perdiderint, neq; vel hiscere contra ausi fuerint. Sed qvæso ego, qvid obtentum tandem principibus esse dicamus? hoc scil. ut postqvam exuti omnibus bonis subditi fuerunt ipsi etiam nihil haberent amplius, qvod splendorem eis apud exteros aut formidinem apud hostes comparare potuerit. Qvæ hodiè sit militis

licentia, avaritia, crudelitas, petulantia, neqvitia, nemo ignorat; atq; hinc qvalis per eum fieri soleat executio, etsi facta nondum sit, divinare poterit, qvisqvis ratione suâ utitur. Et tamen ita invaluerunt istiusmodi tribulationes, uti communiter vocantur, ut nihil freqventiùs in communi conversatione audiatur, & qvotidianæ inde apud censitores ingeminentur qverelæ. Gravissimè per istas exactiones & DEum & naturam offendi, ostendit Christophorus Forstnerus *ad Taciti annal. lib. 4.*

LXI. Est verò etiam in ipsos censitores eosqve qvi in recipiendis & conflandis pecuniis occupati sunt, assidua â superioribus habenda inspectio, qvippe qvod eorum tanta sæpè sit rapacitas, ut non tàm ærario publico, qvàm rei suæ privatæ dent operam, suamq; substantiam ex alienâ pecuniâ in immensum augeant. *Sunt apud nos plures*, inqvit Antonius Perez *Cod. de exactor. tribut. num. 29. qvi exactoris, qvæstoris, seu susceptoris munus ex fide tractant, & rationes receptorum conficiunt, reddunt q3; sed etiam ex his non paucos videmus, qvi ad id munus accedunt sine ullo censu & intra paucos annos ditissimi fiunt. Qvamobrem optandum foret, ut ab illis indilatè qvæsitarum opum ratio exigeretur, & ex iis opes illæ auferrentur, qvarum origo est incerta. Valde etiam conduceret, providere, ne multi otiosi homines, præter qvæ nescio inania officiorum nomina annuis salariis Remp. qvasi prædæ habeant, & ne etiam aulici avidas manûs in contributiones injiciant, aut ex illis ambiant â Principe largitionem aliqvam.* &c: Conf. Hermann. Lather. *de censib. lib. 1. cap. 15.* Ego nihil addo, nisi qvod & olim gravissima pœna decreta fuerit ipsis judicibus seu Rectoribus provinciarum, qvi susceptа â Rep. sive illata qvocunqve prætextu usurparent, etsi mutuum interveniisse dicerent, *tot. tit. C. de his qvæ ex publ. collat. illat. lib. 10.*

LXII. Reliqvum est, ut de fine publicarum collationum videamus, qvandoqvidem ex isto pleraq; earum justitia æstimanda veniat, si vel ipse totus finis talis non sit, ut propterea gravari debeant subditi, vel si talis qvidem sit, pecunia autem collecta in istum finem non convertatur. Qvod tributa concernit, qvæ certam & qvotannis recurrentem habent præstationem, illa ideò ab initio constituta fuerunt, ut Resp. perpetua haberet subsidia, qvibus

bus ipsa conservari posset. Impossibile enim est, uti dicitur in *Novell. 149. cap. 2.* ut sacris tributis non illatis alioqvi Resp. conservetur. Et ut constet, qvorsum tributa impendi oporteat sic ibi pergit Justinianus sive potiùs Justinus Curopalata: *Militares namqve copiæ, assignato sibi salario inde percepto, hostibus resistunt, & collatores â barbarorum incursionibus & truculentiâ vindicant. Denique agros atqve civitates â latronum alioqve modo incomposita tam vitam sectantium vi & irruptionibus, agendis excubiis defendunt: ex illis etiam reliqvæ cohortes ea, qvæ ipsis attributa sunt, accipiunt: muri atqve civitates indidem instaurantur publicarum balneorum hinc calefactiones procedunt: postremò spectacula, aliaqve omnia, qvæ ad delectationem subditorum inventa sunt, ex iisdem curantur: ut qvæ ab illis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos insumantur, & impendantur: nobis autem prorsus nihil inde præter istarum rerum curas habere contingit, non tamen eas mercede vacuas, cùm magnus ille Deus & Servator noster Jesus Christus, magnitudine clementiæ suæ permultis propter hoc nos bonis remuneretur.*

LXIII. Scilicet permulta sunt, qvæ in civitate sumptu publico facienda, reficienda, comparanda, conservanda & expedienda sunt. Ipsa in se Resp. ut subsistat, multas sæpè facere oportet expensas. Constituenda sunt salaria Consiliariis, Magistratibus, judicibus, apparitoribus, executoribus & qvibusvis aliis in ministerio publico versantibus, qvibus sanè carere neqvit Respublica, etsi sibi soli relicta sit, neqve cum aliâ Rep. commercium habeat. Qvod si porrò cum aliis Rebuspubl. agendum fuerit, id qvod utiqve necessarium sæpè est, ut plurimùm non inutile, mittendi tùm sunt & recipiendi vicissim legati, facienda fœdera, ineunda pacta, firmanda commercia & qvæ sunt alia, qvæ haud contemnendam sæpè pecuniam exigunt. Alendi sunt etiam in pacatissimo Reip. statu milites nonnulli ad purgandam malis hominibus provinciam, & ut lateri principis adhærentes personam ejus custodiant atqve ab omni vi externâ defendant. Ut alia nunc taceam, qvæ qvotidiè occurrunt, & sine sumptibus expediri nullo modo possunt. In hanc rem igitur constituta fuerunt tributa & ærariâ publica, qvæ ad curam pertinent principis, non ut per luxum & immoderatam vivendi rationem ea evacuet

atqve

atqve consumat, sed ut in ea, qvæ necessaria aut utilia Reip. visa sunt impendat, neqve tàm suam inde qvàm subditorum suorum salutem qværat, aut suam non aliàs, nisi Reip. ea simul proficùa sit.

LXIV. Atqve hæc fuit mens & intentio non Justini tantùm in *dict. Novell. 149.* sed Tiberii etiam istius, qvi â Justiniano secundus imparavit in *Novell. 161. cap. 2.* dum sic ait: *Ex eo nobis in mentem venit, qvod pluris à nobis sit subditorum opulentia & medela, qvàm reditus qvi exinde inferuntur imperio. Contrahimus enim unà cum largitionibus præsidum in arctum ipsa etiam suffragia, qvæ Imperialibus inferebantur rationibus, & magnum reddebant pecuniarum cumulum: qvo magis hac causa & Resp. meliore successu potiatur, & locupletior redeat, aliqvot retrò temporibus â nonnullis excogitatis præstationibus liberata. Una enim hæc res potentiæ nostræ studio est, ut provinciæ & bonis gubernentur legibus, & turò inhabitentur, neqve non ex præsidum justitiâ fructum capiant, & tributa publica sine qverela inferantur. Neqve enim aliter conservare licet Remp. nisi pientissimæ præstationes importentur in publicum, ex qvibus & militares nutriuntur copiæ, ut resistatur hostibus & per agros ac Urbes agantur excubiæ: perfruuntur item reliqvi ordines attributis sibi salariis, reparantur qvoqve muri & urbes, denique omnia alia proveniunt, qvæ communem subditorum utilitatem concernunt.*

LXV. Qvod Tiberius ait, pluris apud se æstimari privatam civium opulentiam, qvam publicam fisci aut ærarii, idem hoc de Constantio Constantini Magni patre refert Eutropius *lib. 10.* qvod fuerit vir egregius & præstantissimæ civilitatis, divinis provincialium ac privatorum studiis, fisci commoda non admodum affectans, ducensqve meliùs, publicas opes â privatis haberi, qvàm intra unum claustrum reservari. Et laudatur Julio Capitolino M. Antoninus Philosophus Imperator, qvod in causis compendii judicans fisco nunqvam favit. Qvod enim qvidam egestatem civium dominantis securitatem esse existimant, id profectò principium est tale, ut contrarium verius videatur. Vid. Christoph. Forstner. *ad Taciti annal. lib. 4.* Et imperium & fiscus abundat utens subjectis locupletibus, inqvit Justinianus Imp. *Novell. 8. pr.* Utiqve enim nullæ opes aut certiores sunt aut utiliores

liores, qvàm qvæ sunt in subditorum custodiâ, hæ solæ stabiles firmæqve permanent, qvibus princeps, ubi necesitas exigit, utatur ac fruatur cum voluntate ac studio subditorum.

LXVI. Possunt verò præter ordinarias cujusqve Reip. expensas, qvibus tributa destinata fuisse dixi, aliæ extra ordinem sæpè necessariæ esse, qvibus exsolvendis post excussum Principis fiscum Th. Maul *de homag. tit. 9. n. 37.* non alia suppetunt remedia, qvàm ut collationes fiant, & collectæ indicantur. Ut ecce, si propter imminentem aut minitantem hostem miles conscribendus & arma paranda sint, si grande æs alienum emergat, si muniendum oppidum aut muri extruendi fuerint, & qvæ passim occurrere solent alia. Qvibus addere solent alii, si principis filia elocanda fuerit, si principi defuncto exeqviæ faciendæ sint, &c. Jac. Monoch. *de arb. jud. qvæst. lib. 2. cas. 181.* in qvibus tamen collectas non aliter admittunt alii, qvàm si longâ consvetudine ita alicubi receptum sit. Klock *de contribut. cap. 8. num. 12. seq.* Winzler. *de collect. observat. 7. num. 11.* Th. Maul. *de homag. tit. 9. n. 28. seq.* Sic etiam propter Principis adventum, ut paratas facerent, h. e. Regiæ aut Principis familiæ cibos exhiberent, collectas jam olim indictas fuisse legimus. Vid. Hier. Bignon. ad Marculfi form. *lib. 1. pag. 448.*

LXVII. In qvibus omnibus tamen hæc inprimis observanda sunt, *Primò*, ut collecta sumptibus & impensis in proportione respondeat, neqve ad plus dandum, qvàm necessarium fuerit, collatores adigantur, aut si qvid superfluum fuerit, ut id in commune ærarium ad futuros usus referatur. *Deinde*, ut cessante causâ ipsa qvoqve deinceps cesset collecta. Et *Tertiò*, ut non in alios usûs impendantur opes conqvisitæ, qvàm in qvos ab initio destinatæ fuerunt. Atqve hinc expedit sæpè, ut in comitiis explicetur, qvare & qvorsum tanta impendia facere oportuerit, utq; exinde intelligat populus, per collectas istiusmodi salutem suam qværi atqve procurari. Optimè in hanc rem Mæcenas ad Octavium Augustum Cæsarem apud Dionem Cassium *Histor. Rom. lib. 52. Neqve clam me est*, inqvit, *nonnullos tributa instituì ægrè laturos esse: verùm hi ipsi, si neqve alio præterea damno afficiantur, & ve ipsâ comperiant, hæc ipsorum salutis causâ, utqve cæteris suis bonis*

tucò perfrui possint, exigi; præterea cum plerique ipsorum eam pecuniam, alii magistratum gerentes, alii præfecti regionum, alii militantes accipiant, magnas etiam tibi gratias agent, quod exiguam redituum suorum partem tibi conferentes, reliqua omnia sine damno percipere possint. Idque eò magis fiet, si te continenter vivere ac nihil prodigere videant. Quis enim cùm videat, te in re familiari summâ parsimoniâ uti, in publicâ liberalissimum esse, non ultrò velit aliquid conferre, cùm tuas divitias suam securitatem & copiam esse judicet. &c.

LXVIII. Non malè hinc statuit Ludovicus Molina *de justit. & jur. disp. 667. n. 7. seq.* Principem, qvi gravius tributum accepit, qvàm causa efflagitat, in conscientiâ ad restitutionem ejus, qvod nimium est, subditis teneri, nisi aliis rebus id impendat, qvarum causâ justè tributa imperare posset. Vicissim tamen periculosa est assertio Johannis Azorii *Instit. moral. lib. 5. cap. 22. q. 6.* statuentis, subditum, certo scientem, non impendi tributa in rem, ob qvam imposita ab initio fuerunt, non teneri ea solvere in conscientiâ, nec peccare defraudando, nec obligari ad restitutionem. Etsi enim qvod inter privatos datur aut promittitur ob certam causam, eâ non existente vel non secutâ non debeatur; in publicis tamen doctrinam hanc applicare subditis vix licebit, præsertim circa negocium tale, qvod ad respectum imperii & subjectionis pertinet. Nec enim per modum conventionis semper decernuntur tributa, sed ex imperio substantiam capiunt, & ad indictionem imperantis debentur, *Rom. XIII. 6.*

LXIX. Cæterùm qvod dixi, tributa in alios usûs impendi non debere, qvàm in qvos ab initio destinata fuerunt; & rursus, tributa neqve imponi neqve exigi debere, nisi propter necessitatem aut utilitatem publicam: & porrò, tributa aut collectas justam ad impendia & expensas habere debere proportionem, non tàm strictè accipiendum est, ut Principi inde in sui sustentationem nihil omninò decerpere liceat. Qvin imò, qvod in Regis sustentationem datur, in communem utilitatem datum videtur, qvia Regis sustentatio utilitas est publica. Franc. Toletus *lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 72. num. 4.* Et statuendum hinc est, Regi aut principi vel tributa exsolvenda, vel certos reditûs assignandos esse, solum eum in finem, ut habeant, unde secundum ratio-

rationem dignitatis ſuæ vivat. Propterea enim, qvod Princeps pro Rep. laborat, eam regendo, defendendo & tranqvillitatem publicam conſervando, juſtum eſt, ut Reſp. vicisſim eum digne alat & ſuſtentet, cùm natura hoc dictitet, dignum eſſe operarium mercede ſuâ. Leonh. Leſſius *de juſt. & jur. l. 2. c. 33. dub. 1. num. 5.*

LXX. Eſt ergò hæc non ſcripta ſed nata lex, ut qvi ſua nobis tempora impertiunt, qvod illi faciunt, οἷς λαοὶ τ' ἄπτετε ρέφατα καὶ τοῦα μέμηλε, noſtra etiam percipiant tempora, h.e. de noſtris fructibus & laboribus ſuſtententur, & non ſolùm ὑπαρχόντως ſed & ὑπερβαλλόντως procurentur. Ipſo enim hoc ſuo miniſterio DEI funguntur procuratione, & qvicqvid hujus intuitu in eos confertur, in Deum ipſum refertur. *Ideò tributa præſtatis*, ait Paulus *Rom. XIII, 6. miniſtri enim DEI ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergò omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Digna ſunt, qvæ hîc adſcribantur verba Chryſoſtomi, locum hunc Pauli enucleatè explicantia: *Qvæ eſt cauſa*, inqvit, *qvod tributa pendamus Regibus, annon, qvod noſtri providam curam gerunt? annon, qvod præſint nobis? mercedem procurationis illius & curæ retribuimus. Profectò neqvaqvam ab initio in hanc rem conſentire voluiſſemus, ſi non multum nobis commodi, ex hâc illorum ſedulâ curâ & noſtris rebus accreviſſet. Omninò enim placuit hoc ab initio mortalibus, de communi omnium conſenſu nutriendos & ſuſtentandos eſſe principes, eò qvod res ſuas proprias inſuper habentes & in ſecundis ponentes* τῶν κοινῶν κήδονται πραγμάτων, *rerum communium curam agunt,* καὶ εἰς ταῦτα τὴν σχολὴν ἀναλίσκουσι, δι' ὧν καὶ σώζονται τὰ ἡμέτερα. *Et otium ſuum in id impendunt, ut res noſtræ ſalvæ ſint. Et porrò;* οὐκ εἰσπίδοτε, ἀλλ' ἀπόδοτε, *non dixit Apoſtolus date, ſed reddite.* οἶδε γὰρ χαρίζη τοῦτο ποιῶν, ὀφειλὴ γὰρ τὸ πρᾶγμα κἂν μὴ πράτλῃς αὐτὸ, ἀγνώμων καὶ ὑπόδικος &c.

LXXI. Qværitur autem, ſicubi Princeps ultra reditûs annuos ſibi deſtinatos, ampliores fecerit expenſas, utrum refundere eas, aut debita contracta in ſe ſuſcipere teneantur ſubditi? Intereſſe videtur, utrum voluptarii fuerint ſumptûs, & in exceſſu nimii (aliqvos enim tales ut Principi facere liceat, ipſa humana

jubet conditio) an verò utiles & neceſſarii. Poſteriori caſu teneri ſubditos, dubium non eſt. Recidit enim tùm qvæſtio in eum caſum, de qvo ante dixi, qvod Principi ſubminiſtrari â ſubditis debeant omnia ea, qvæ ad victum & amictum Principe dignum, tùm & ad totum regimen & imperium ſuſtinendum pertinent. Qvæ utiqve non ex neceſſariis tantùm conſtant, ſed etiam ex illis, qvæ utiliter geruntur, & ſine qvibus Reſpubliça beata eſſe non poteſt. Beatitudo autem civilis præcipuè reqvirit ſufficientiam rerum, qvæ ſæpè ſine magnis ſumptibus comparari neqveunt.

LXXII. Priore caſu ex rigore juris, & ſi Principis officium conſideres, qvod hactenus neglectum eſt, ad ejusmodi debita ſolvenda adſtringi ſubditi minimè poſſunt. Vid. prolixèMatth. Coler. *de proceſſ. execut. part. 2. c. 3. num. 326. ſeq.* Et maximè odioſæ eo caſu cenſentur collectæ. Regner. Sixtin. *de regalib. lib. 2. c. 14. n. 56.* Qvis enim inter ſubditos non indignabitur, ſicubi viderit facultates ſuas multo ſudore & labore comparatas luxui alieno inſervire, & immodicâ atqve fœdisſimâ ſæpè profuſione conſumi. *Magna certè*, (inqvit Philippus Cominæus *comment. lib. 10.*) *eſt multorum principum iniqvitas, qvi pecuniam pro ſuâ libidine ſais imperant, & amplum alunt ſatellitium, ut miſeram multitudinem in metu contineant, eamq; deinde pecuniam temerè & voluptuariè profundunt, nullo cum Reip. bono, & de qvotidianis ſumptibq; nihil remittunt, & ſuos exhauriunt, & aſſentatorum ſtipati ſunt turbâ. Sed eſt DEUS, qvi flagitium nullum ſinit impunitum.* &c.

LXXIII. Qvia tamen difficile eſt nonnunqvam, utiles & voluptuarios ſumptûs diſcernere, cùm tantas tutela provinciarum & regimen politicum exigat impenſas, ut privati vix capiant, & iniqvum inſuper eſt, Principem ad rationes rigidè reddendas conſtringere, in dubio, & ubi de principis immoderato luxu apertè non conſtat, tutius facient ſubditi, ſicubi debita ita contracta in ſe receperint. Sic enim in moralibus obtinet, ut in dubiis id eligatur, qvod tutius eſt. Qvia igitur ſufficientes ſumptûs Principi præſtare tenentur ſubditi, dum non conſtat manifeſtò, neceſſarios non fuiſſe, propter qvos debita contracta dicuntur, potiùs eſt, ut ea exſolvant & in ſe recipiant, qvàm ut obligationis

nis suæ immemores majestatem Principis exteris omnibus temerè & multâ cum injuriâ atq; impietate prostituant.

LXXIV. Qvando autem certum est & manifestò constat, prodigè & profusissimè vitam â Principe actam fuisse, atqve debita ab eo contracta inerti luxui ac prodigis epulis inserviisse, non tenentur qvidem subditi debita istiusmodi in se recipere aut exsolvere; Th. Maul. *de homag. tit. 6.* Piè tamen & laudabiliter fecerint, si & hoc casu Principi facultatibus suis subveniant, & debita talia agnoscant, non minùs atq; liberi, qvi Patris prodigi Creditoribus satisfaciunt, etsi ipsi obligati non sint, & ne teneantur, ab hereditate paternâ ex beneficio Prætoris abstinere qveant. Cæterùm si ærarium totum exhaustum & Princeps eò redactus sit, ut non habeat, unde Remp. defendat & conservet, atqve dignitatem & splendorem tueatur, etsi ipse culpâ suâ per ludos, convivia, profusas largitiones, bella inconsulta, causam inopiæ dederit, tenentur tùm subditi necesitati ejus subvenire, & nova tributa aut collectas conferre. Anton. Perez *Cod. de annon. & trib. num. 13.* Sed vicissim tamen tùm Princeps obligatus est ad restituendum hoc, qvod culpâ suâ intulit, damnum, si qvando ad pingviorem fortunam pervenerit. Paul. Laymann *Theol. lib. mor. lib. 3. tr. 3. part. 1. cap. 3. n. 8.* Et ut perveniat,

omnem movere lapidem, omnibusqve viribus anniti debet.

Filius

Fllius ingentis pariter Fraterqve WILHELMI,
LYSERÆ & BOSIÆ digna propago domûs,
In Themidos vires animosqve oſtendit arenâ,
Dotesqve ingenii prodit opesqve ſui.
Commodat huic clypeum ZIEGLERIA Pallas, & arma,
Qviqve Parentis obit, Præſidis ille vices.
Ardet, & æternùm genti devota LYSERÆ
Vix ſe carceribus Muſa tenere poteſt.
Ac ceu ſpumat eqvus pedibusqve repagula pulſat,
Liberaqve Elæi jugera poſcit agri:
Sic illa effuſis cupiat decurrere loris,
Area dum ſpatiis grandibus iſta patet.
Jam ſtimulos ſubdunt priſcæ decora inclyta ſtirpis:
Jam magnos referens nobilis ardor Avos:
Jam rapit immenſi veneratio PRÆSIDIS, & vult
Obſeqvium tanto ritè probare Viro.
Te cohibe, mea Muſa, tamen. Non verſibus ille,
Sed Samiæ fervet campus agone deæ.
Tu voto defuncta brevi gratare tropæum,
Victori pulcher qvod labor iſte dabit.
ZIEGLERUM at ſeros ut ſervent fata per annos
Dulce Decus Patriæ præſidiumqve, vove.

Debuit

Sam. Benedictus Carpzovius,
Poëſ. P. P.

94 A 7371

ULB Halle
001 700 707
3

56.

94 A 7371

V b 17

DISP
TO

11

XI.

Qvæ res benè vortat!

EXERCITATIO JURIDICA,

De

JURE COLLECTANDI,

IN SPECIE

qva ratione & qvo fine imponi & exigi collectæ debeant,

Qvam

SUB PRÆSIDIO

CASPARIS ZIEGLERI, J. U. D.

Consiliar. Elector. Saxon. & Facultat. Jurid. Ordinarii

Publicè discutiendam proponit

GOTHOFREDUS CHRISTIANUS Leyser.

In Auditorio JCtorum

Ad D. APRILIS

WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-611299-p0057-8